DEMETRII PHALEREI DE ORATIONE, SIVE DE MODO DICENDI,


Natale de Comitibus Veneto interprete.

De membris. Cap. I.



ICVTI *Poesis in metra diuiditur, ut in semimetra, & hexametra, & alia complura; sic dicendi rationem ea, quæ membra uocantur, diuidunt, atque dispescunt; & quasi ipsa numerum constituentia, multisq; terminis orationem terminantia, ipsum sermonem sistunt ac concludunt: quoniam & longa & infinita propè esset oratio, dicentemq; oratorem suffocaret. Illud est horũ membrorum officium, ut sentẽtiam suis numeris expleant: ac aliquando totam sententiam; ut; sicut inquit* Hecatæus *in historiarum principio: sic.*

minus artificiose



Hecatæus Milesius testatur: nam tota sententia toto membro conclusa est & comprensa, amboq; simul cessarunt. Veruntamen membrum totum aliquando non totam absoluit sententiam, at totum totius sententiæ pars efficitur: Nam sicuti cum manus totum sit quoddam, omnes illius simul partes totum quoddam sunt, ut digiti, & palma ę enim harum partium habēt circumscriptionem, & partes præcipuas; sic etiam sententia cum unum quoddam magnum totum sit, quasdam sui partes complectitur, quæ & ipsa sint totum quoddam & integrum: uelut hoc se habet in principio Ascensus Xenophontis; duo filij nascuntur ex Dario & Parysatide. usque ad id; Cyrus autem iunior, tota perfecta est sententia, in qua duo sunt membra, quorum utrunque quædam est pars ipsius, at sententia completur in utrisque, cum certum finem contineat. ut; ex Dario & Parysatide duo filij nascuntur. habet enim sententia ipsa per se quādam perfectionem, quòd Dario & Parysatidi nati sunt filij. simili autem ratione et alterum membrum, quòd ~~iam~~ senior Artaxerxes, ac iunior Cyrus. ita, ut antea dicebā, ut membrum quādam omnino contineat sententiam, siue totā siue totā illius partem. oportet igitur membra non longa admodum facere, quoniam compositio fieret immensa, aut certè non facile eius finem consequeremur.

remur. Idcirco neq; poesis hexametrum excedit, nisi in quibusdam perpaucis: esset ridiculum sanè immensam esse mensuram, atque nos oblitos esse alicubi desinentis mensuræ, aut quando cæperit. Neque *enim membrorum longitudo orationibus conuenit ob immoderationem; neque nimia rursus breuitas, quoniam arida nimirum fieret compositio. uelut hæc est; uita breuis, ars uerò longa: tempus uelox, cognitio incerta: est enim concisa compositio, & discerpta, atque contemnenda, quando omnia habet exigua.* Accidit *tamen aliquando ut longioris membri detur occasio pro rerũ ipsarum magnitudine; ut inquit* Plato. Hoc *certè quidem uniuersum, hoc* Deus *ipse accedens regit ac circumuoluit.* Ipsa *membri magnitudine & oratio ipsa ferè extollitur. idcirco etiam hexametrum heroicum ob longitudinem appellatur, quia heroibus conueniat.* Neq; *enim* Homeri Iliadem *breuibus* Archilochi *carminibus quispiam satis aptè scripserit. ut; anxia scytale. & quis tuas suspendit mẽtes? neq; etiam* Anacreontis *carminibus: fer aquam, fer uinũ puer.* Est *enim minus artificiosus rhytmus ebrij senis, non autem pugnantis herois.* Est *autem longioris membri tempus & occasio aliquãdo ob res ipsas, atque breuis rursus aliquando; ut si paruum quidpiam dicamus, ut inquit* Xenophon; *quòd Græci ad fluuium* Teleboam

peruenerunt:hic autē erat non quidem magnus, at pulcher. Nam *& paruitate,& numeri cōcisione & fluuij tenuitas & suauitas declaratur. quod si hoc ipsum ita dicendo produxisset; hic autem magnitudine compluribus erat inferior, at pulchritudine cæteros omnes superabat, ab ipso decorè diuertisset: fuissetq́; frigida oratio. Sed de frigido postea differemus.* Est *in grauitate etiam usus paruorum membrorum: nam illud quod in angusto declaratur, multò est grauius ac uehemētius. quamobrem breuiloqui sunt* Lacones *ob grauitatem: nam & imperium angustum est & breue, & omnis dominus seruo est monosyllabus. Supplicatio uerò est longior,atq; lamentatio,tum preces apud* Homerum,*& iracundia, & squalores ob tarditatem, hoc est ob longam orationem;atque tardius ob debilitatem loquūtur senes.* Exemplum *breuis compositionis est;* Lacædemonij Philippo,Dionysius *in* Corintho.*nam multò uidetur grauius quod ita breue dictum sit,quam si longiori oratione diceretur. quòd* Dionysius *magnus olim tyrannus,sicut tu, nunc uiuit tamen priuatè: habitatq́;* Corinthum. *non enim si multis proferatur uideretur simile increpationi, sed potius narrationi, ac docenti potius alicui esse accommodatum quam deterrenti:sic enim si extēdatur,omnis orationis iracundia soluitur atque uehemētia.* Ac *ueluti feræ*

quæ

quæ pugnent cum conuersæ fuerint, sic est orationis conuersio quasi ad grauitatem conspersæ. huiusmodi breuitas in compositione, cæsum appellatur, quod ita definiũt; Cæsũ est minus membro, ut prædictum: & Dionysius in Corintho. & nosce te ipsum. &, Deum sequere. quæ sunt sapientũ. est breuitas etiam apophthegmati accõmodata, & sententiosa, atque sapientius quiddam est in breuem orationem amplam sententiã redegisse. quia ueluti in seminibus totius uis arboris includitur. quòd siquis longioribus uerbis sententiam protenderet, disciplina fit quædam oratori pro sententia.

De ambitibus. Cap. II.



CVM ita membra cæsaq; constituantur, ubi in unum conuenerunt, uocantur ambitus. Est siquidẽ ambitus ex membris uel cæsis constitutio, quæ facile accommodetur ad propositam sententiã, eamq; absoluat. ut; cum præcipuè plurimum conferre uniuersæ ciuitati putem legem abrogari, tum etiam Chabriæ filij gratia his assensus sum, me quantum ingenij mei facultas ferret, his esse auxiliaturum. Nam cùm ipse ambitus cõstet ex tribus membris, habet sub

finem

finem flexuram quandam et conuolutionem. Ita uerò Aristoteles ambitum definiuit; ambitus est oratio quæ principium habet & finem: quam perpulchrè sanè & aptè definiuit: nam statim is qui dicit ambitum, & unde incæperit ostendit, & finem illi cõstituit, et ad aliquem finem properat: ueluti cursores qui fuerant emißi: nam simul ijs cum principio cursus finis appetitur. hinc etiam ambitus nominatur cum uijs sit similis, quæ circulares sunt & conuersæ. Verum ut summatim dicam, nihil est aliud ambitus quàm quædam compositio, cuius si conuersio soluatur ac componatur, res quidem eadem permanet, uerumtamen non etiam ambitus: uelut si prædictũ ambitum Demosthenis aliquis subuertat, ac ita dicat; defendam hos uiri Athenienses, amicus enim mihi est filius Chabriæ, quo multò magis etiam ciuitas, quã me defendere iustum est. Non enim amplius ambitus inuenitur: ipsius autem origo ea quæ & orationis. Atque alia quidem Cõuersa nominatur, ut quæ habet ambitus, quemadmodum orationes Isocraticæ, Gorgiæq;, & Alcidamãtis: nã totæ continuis constant ambitibus nihil minus, atq; Homeri poesis carminibus hexametris: alia uerò Separata uocatur oratio, quæ diuiditur in membra non admodum interse cohærẽtia, uelut Hecatæi compositio, plurimaq; Herodoti. atque antiqua omnino commentaria

mentaria huiusce rei sunt exempla. Sic enim scribit Hecatæus Milesius; hæc ita scribo, ut mihi uera esse uidentur: nam complures Græcorum sunt eæq́; ridiculæ orationes, ut mihi quidem uidentur, membra enim quasi cumulatis inuicem atq; proiectis sunt similia, non autem coniunctionem habentibus ac firmamentum, aut quæ uicissim sibi auxilientur, uelut est in ambitibus. Sunt enim membra ambituum lapidibus ijs similia, qui tecta rotunda fulciunt atque continent: membra uerò solutæ orationis disiectis lapidibus ac simul iacentibus comparari possunt: quamobrē habet perpolitum quiddam antiqua oratio atque expeditum, sicuti etiā antiquæ statuæ, quarum & contractio & tenuitas ars esse uidetur. At quæ hanc sequitur oratio, operibus Phidiæ comparari potest, cùm quiddam habeat & magnificum & studio plenum. Ego uerò neque totam prorsus orationem ex ambitibus compositā laudo, uelut Gorgiæ, neque quæ prorsus sit soluta, uelut antiquorum: sed eam magis quæ ex duobus fuerit composita. Ita enim accidet, ut et demonstratiua sit & simplex, & simul ex ambobus suauior: ac neque abiecta uulgarisq́; prorsus, neque sophistica. Eorum qui frequentes ambitus dicunt, neq; capita facile consistunt uelut ebriorum, auditorisq́; nausea commouetur ob ineptias. tunc uerò qui præuiderint ambituum

fines

fines pronūtiant ac proferūt. Qui minores sunt ex ambitibus ex duobus membris constituuntur; qui uerò maximi ex quatuor, nam qui quatuor excesserit, nō amplius intra ambituum concinnitatem fuerit collocandus. Fiunt *& trium membrorum quidam, & unius tantum, quos ambitus simplices appellant: nā ubi membrū etiam flexurā habuerit iuxta suum finem, & lōgitudinē, tunc ambitus fit unius membri, uelut est huiusmodi;* Herodoti Halicarnassei *historiæ hæc est demonstratio. & rursus, aperta dicendi ratio multum lumen audientium mentibus affert: ab utrisque enim simplex ambitus constituitur, & à longitudine, & à flexura sub finē: at nunquam ab alterutro.* In *compositis autem ambitibus ultimo membro longiori esse conuenit, & quasi quod cætera membra contineat atque comprehendat: sic enim erit magnificus grauisq; ambitus, atque in graue & longum membrum desinet: sin autē concisus erit, mutiloq; similis. huius exemplum est huiusmodi; non enim pulchrè dicere pulchrum est, sed si is qui dixerit, dicta perfecerit.* Sunt *autem tria ambituum genera, historicus, dialogicus, oratorius.* Historicus *quidem neque circumactus, neque ualde remissus, sed inter utraque, ita ut ob circumactionem, ne oratorius uideatur & incredibilis, grauitatemq; habens & historiæ simplicitatem: uelut est huiusmodi;*

huiusmodi; Darij nascuntur ac Parysatidis, usq; eò, iunior ante Cyrus. uidetur enim ipsius remissio firmissima quædam ac certissima terminatio. Oratorij uerò ambitus conuersum circulareq; est genus, quodq; ore rotundo indigeat ac manu quæ cum rhythmo circumagatur. ut, cum maximè ciuitati conferre existimarem legem abrogari. tum postea Chabriæ filii gratia his assensus sum me quantũ ingenij mei facultas ferret, hic esse auxiliaturũ. Nã huiusmodi ambitus statim ex initio ferè quiddam habet conuersum ac patæfaciens quòd in simplicem finem non cessauerit. Dialogicus ambitus est etiam remissior ac simplicior quàm oratorius, uixq; declarat se esse ambitum: uelut est huiusmodi; heri accessi in Pireum, usque ad id, quæ nunc primum agentes sunt enim membra inter se cõiecta alterum post alterum: uelut in solutis orationibus, cum uix finientes in fine cognoscimus, quòd illud, quod dicebatur, erat ambitus. est autẽ opus ut inter diuisam conuersamq; orationem ambitum dialogicum collocemus, atq; ex ambobus mixtum constituamus. sunt igitur tot ambituũ genera. Fiũt ambitus ex oppositis etiam membris, oppositis inquam rebus: ut nauigans per terram, ambulans in mari: uel ambobus orationi scilicet & rebus, quemadmodum se habet hic ipse ambitus. Sunt huiusmodi opposita membra secundum no-

mina tantum ut, ſicuti qui Helenam *cum* Her*cule comparauit inquit: quòd huic laborioſam uitam periculorumq; plenam fecit, huius autem ſpectabilem ac dignam certamine naturam conſtituit. nam articulo articulus opponitur, coniunctioniq; coniunctio, ſimilia ſimilibus, tum eodẽ modo alia. nã fecit, hoc conſtituit; laborioſum ſpectabile; periculorũ plenã, ad dignam certamine: atque unũ ad unum omnino, ſimile ad ſimile redditio eſt. ſunt quædã membra quæ cum oppoſita non ſint, quandam præ ſe ferunt oppoſitionem, quia ſcripta ſunt ex figura ſecundum oppoſitionem, ueluti illud quod per iocum fit apud* Epicharmum *poetam, quòd tunc apud illos ego eram, apud illos ego. ipſum idẽ dictũ eſt, nihilq; contrarium. modus autem orationis permiſtus oppoſitionem quandam confingere uidetur. ſed hic fortaſſe ridiculus quiſpiam oppoſuit cũ oratores carperet per iocum.*

De aßimilibus membris Cap. III.

SVNT *autem membra etiam aßimilia, quæ quidem ſimillima ſunt à principio. ut;*

δωρητοὶ παραρρητοί.

Muneribus capti fuerant, ſermoneq; uicti.

uel ut in fine, ſicuti principium laudatiuæ; ſæpius eos admiratus ſum qui conciones conuocant, & eos qui certaminẽ ſe exercentium conſtituerunt.

stituerunt. est autem genus quoddam assimilis compar, ubi membra pares syllabas habebunt, uelut apud Thucydidem. ut; neque ijs quos interrogauerat, opus ipsum aspernantibus, neque quibus maximae curae erat, cognoscere renitentibus. hoc enim est compar.

De similiter desinentibus ac differentia ambitus & enthymematis. Cap. IIII.

SIMILITER *desinentia sunt quae similiter finiunt, siue in eadem nomina: ut in hoc exemplo se habet; tu & uiuenti illi dicebas male, & nunc mortuum accusas male. uel ubi in eandem syllabam cessauerit, uelut ea quae in laudatiua dicebãtur. Ast huiusmodi membrorum usus est fallax, neque enim conueniunt grauia dicenti, quia soluit grauitatem uerborum subtilitas atq; curiositas. Manifestè autem nobis declarat hoc Theopompus, nam cum Philippi amicos carperet, inquit; cum natura essent homicidae, moribus erant hominum catamiti: qui cum amici uocarentur, re ipsa erant amicae: nam similitudo in membris & oppositio grauitatem soluit ob malam artem sibiq; pernitiosam, cum iracundia artem minimè poscat. oportet autem in his accusationibus mẽbra naturalia esse quodammodo, ac ea quae dicuntur, simplicia: neque*

enim utilia sunt hæc in grauitate, uelut ostendi: neque etiam in affectibus & moribus, siquidem affectus simplex esse debet & minimè fictus: similiter & mos. ille igitur qui in libro Aristotelis de iustitia de ciuitate Atheniensium conqueritur si ita dixerit; qualem talē ciuitatē ceperunt hostium, qualem suam ipsorum ciuitatē perdiderunt: sic cum affectu & querimonia locutus esset. quòd si fecerit asimile, qualem, ciuitatem hostium talem ceperunt, qualem propriā perdiderunt, nullum mehercle affectum aut misericordiam commouebit, sed potius uocatum clausigelotem. nam iuxta prouerbium coram dolentibus iocari, ac talia inter affectus interserere mali est artificis, ac sibi ipsi pernitiosi. sunt tamen aliquādo utilia uelut, asserit Aristoteles. accessi ego ex Athenis ad Stagira ob regem magnum, tum ex Stagiris Athenas ob magnam tempestatem: quòd si alterum magnum abstuleris, omnis prorsus gratia auferetur. Nam dicta huiusmodi optime orationi magnificentiæ conueniunt, qualia sunt complura Gorgiæ, Isocratisq́; opposita. Atque tot de aßimilibus à nobis dicta sint. Differt autem hoc pacto ambitus ab enthymemate, quoniam ambitus circumducta est quædam compositio, unde etiam nomen obtinuit; at enthymema uim habet suam in sententia, ibiq́; constituitur, atque ambitus circulus est enthymematis,

κλαυσιγέλως, *risum ac fletū eodem tempore.*

thymematis, uelut aliarum rerum: enthymema autem est ex sententia quaedam siue ex pugna dicta in figura consecutionis. Signum est autem quòd et si compositionem solueris enthymematis, ambitum etiam de medio sustuleris, at idem permanet enthymema: uelut si quis hoc enthymema, quod est apud Demosthenem soluerit, nam uelut si quispiam illorum captiuus fuisset, tu hæc non scripsisses; sic nunc cum tu captiuus sis, alius non scribet. Si quis ita soluerit; ne illegitima scribentibus credas: si enim uetitum fuisset, hic nequaquam nunc hæc scripsisset: neque alius præterea scribet, cũ hic nunc fuerit captus. hic enim circulus ambitus dissoluitur, at permanet tamen in eodem enthymema. Atque ut uniuerse dicam, enthymema ratiocinatio est quædam oratoria, at ambituss nihil ratiocinatur, sed solum componitur. Ambitus etiam in quauis orationis parte collocamus, uelut in proœmijs, enthymemata non in quauis parte: ac enthymema quasi iam dictis additur, epilogiq; rationem subit; cum ambitus per se dicatur. Hoc uelut imperfecta est ratiocinatio; ille neque totum quidpiam est, neque imperfectum ratiocinatur. Accidit tamen enthymemati ut sit ambitus etiam, quare & in ambitus modum componitur: non tamen est ambitus, uelut accidit domum extruenti esse albo, si sit albus: at domus extructor non est albus. Dictum

ctum est autem de differentia enthymematis & ambitus. Membrum *ita* Aristoteles *definiuit; mēbrum altera est ambitus pars: postea subiungit; fit autem & simplex ambitus.* Hoc *pacto cum alteram partem determinasset, uoluit scilicet ambitum esse duorū membrorum: sed* Archedamus Aristotelis *definitionem excipiens, idque quod definitioni inferebatur, ita & manifestius definiuit, & perfectius; membrum uel simplex est ambitus, uel pars ambitus compositi.* Qvid *enim sit ambitus simplex iam diximus.* Cum *igitur ipsum partem esse ambitus compositi dixerit, uidetur non duobus tantum membris ambitū conclusisse, sed uel tribus, uel etiam pluribus.* Nos *uerò mensuram ambitus iam exposuimus, quare ad genera dicendi accedamus.*

De generibus dicendi Cap. V.

Sunt autem quatuor simplicia dicendi genera, tenue, magnificum, uenustum, graue. Reliqua *uerò ex his generibus sunt mista: nō tamen quoduis cum quouis misceri comperiemus, sed uenustum cum magnifico ac tenui: graue etiam cum utrisque similiter.* Solum *autem magnificum cum tenui non miscetur, sed uelut oppositum est & aduersum, at maxime contrario; quare nonnulli sola hæc duo dicēdi genera arbitrati sunt;*

reliqua

reliqua uerò esse inter hæc duo. Qui etiam uenustum tenui potius attribuerunt, uelut graue magnifico. Quasi uenustum tenuitatem quandã habeat & elegantiam, at graue & fastum & magnitudinem: cuiusmodi ridicula sanè est oratio. Videmus autem præter prædicta genera contraria, omnia omnibus esse permista: uelut Homeri sunt carmina, Platonis, Xenophontisq; sermones, ac Herodoti, aliorumq; complurium, qui multum habent immistam magnificentiam, multamq; gratiam & grauitatem: ita ut generum dicendi multitudo tanta sit, quanta dicta est à nobis. Atque oratio singulis idonea fiet huiusmodi.

De Magnifico genere. Cap. VI.

SVMETVR autem nobis à magnifico genere principium, quod omnes nunc disertum appellant, est autem in tribus magnificentia, in sententia, in dictione, in apta coniunctione. Magnifica compositio pæonica est, ut asserit Aristoteles; atque duo sunt pæonis genera: hoc quidem incipiens, cuius syllaba longa incipit, tum tres breues subsequuntur: ut hoc; cæperat at. Illud autem pendulum, quod cum altero conuertitur, cuius tres priores breues sunt, at longa subsequitur; ut, arabicis. Est autem opus in membris

magnificæ orationis ut incipiens nouus pæon membra incipiat, ac pendulum sequatur, cuius rei exemplum est hoc Thucididis; *cœperat at id malum ex* Aethiopia. *Id igitur* Aristoteles *ita coordinauit quòd membri ingressum principiū q; statim oportet esse magnificum, ac finem: quod erit si à longa cœperimus in longamq; finiamus: est enim longa natura magnifica, atq; si prius feratur statim percutit; cū uerò finierit, relinquit in magno quodam auditorem.* Nam *omnes priorum præsertim ac extremorum meminisse solemus, quibus etiam mouemur, ab ijs uerò quæ sunt inter hæc minus profectò, tanquā illa obscura sint, & minus appareant.* Manifestum *est autem hoc in scriptis* Thucydidis, *nam prorsus ferè magnificentiam facit in omnibus illius scriptis numeri longitudo: atque propius accedit periculo ne huic uiro, cùm magnificētia sit ubique, ipsa compositio maximum præcipuè seruet.* Est *autem considerandum ut cum nō possumus pæonas diligentißimè in membris ponere ambos hinc atque illinc, pæonicam omnino faciamus compositionem: ut à longis incipientes in longas desinamus.* Hoc *etiam uidetur significasse* Aristoteles, *aliterq; artificiose disseruisse de gemino pæone scilicet diligētiæ causa.* Quamobrem Theophrastus *exemplum causa* Magnificentiæ *exponit membrum huiusmodi; his philosophantibus*

losophantibus in his quæ nullius sunt precij. Non enim constat ex pæonibus prorsus, quamuis sit pæonicum: nam pæonem assumit in orationes, quoniam tutior est cùm sit mista, magnificentiamq; assumat ex longa, orationem uerò ex breuibus. Ex alijs heroica grauis est oratio, ac non rationalis, sed sonora: neque in numero, sed sine numero, ut huiusmodi; illuc ire nostram in regionem. Nam longarum frequentia accidit, maior quàm poscat metrum rationale: est autē iambus tenuis, similisq; multorū sermoni, quamobrem multi iambica metra uocant minimè perspicientes. Pæon autem medius est amborum, & mediocris, & qualis permistus: sic autem sumēda est in magnificis pæonica compositio: efficiunt autem magnitudinem membra etiam longa, ut, Thucydides Atheniensis bellum Peloponesiacum Atheniensiumq; conscripsit. Atque Herodoti Halicarnasei historiæ hæc declaratio: Nam cito in breue membrum conticescere orationis grauitatem attenuat, quamuis magnificā sit proposita sententia, atque ipsa nomina. Magnificum est autem in compositione dicere ex circumactione, uelut Thucydides; Achelous fluuius manans ex Pindo monte per Dolopiam Agrianorumq; & Amphilocorum regionem superius Stratum ciuitatem alluens in mare apud Aeniades prorumpit: ciuitatemq; ipsis cin-

gens alluuionibus difficilem prorsus præbet per hyemem ob aquarũ copiam castrametationem. Nam huiusmodi omnis magnificentia facta est ex circumactione, atque ex eo quod & ipse & qui audit uix acquieuerit. Siquis uerò ita soluens dixerit; Achelous enim fluuius fluit ex Pindo mõte irrumpitq; in mare apud Aeniades, at priusq̃ exeat ex Aeniadibus stagnum facit planitiem, ita ut ad hostium hybernas incursiones ipsis propugnaculum sit atq; agger ipsa aqua. Siquis ita cum permutauerit orationem dixerit, multas præbebit orationi intermißiones, atque omnis magnitudo prorsus auferetur. Nam sicuti longas uias frequentes diuersiones minores efficiunt, solitudines uerò uel in breuibus longitudinis speciem quandam præse fuerunt, sic hoc ipsum accidit in membris: efficit magnitudinem in multis compositionis aspera concinnitas, ut illud;

Indutum ferro nanq; Hectora maximus Aiax.

Nam difficilis auditu aliter fortasse fuerit literarum complexio: excessus uerò is est qui herois magnitudinẽ declarat. Leuitas autem atq; auditu iucundum non habent locum prorsus in magnificentia, nisi in paucis certè. Thucydides etiam leue ac compositionis æqualitatem ubique ferè deuitauit, atque semper potius propulsasse uidetur, ueluti qui uias asperas ingrediuntur.

Vbi enim dicit quòd annus cum salubris diceretur, ad alias difficultates accessit, ablata est ipsius magnificentia. Nam sicuti asperum nomen magnitudinem conficit, sic & compositio. Nomina sunt aspera, tunc uociferans, pro eo quod est clamans: atque disruptum, pro lato. Quibus omnibus Thucydides utitur, similiaq; nomina compositioni accipit, ac nominibus compositionem.

De compositio orationis. Cap. VII.

SVNT autem nomina hoc pacto collocanda; ac primum quidem ponenda sunt, quæ non satis manifesta: secunda atq; ultima quæ manifestiora: sic enim & primum audiemus tanquam manifestum, et quod sequitur tanquam manifestius. Sin autem laborare uidebimur, atq; quasi à potentiore ad debilius ac infirmius concidisse. Est autem exemplum dictum illud apud Platonem; quòd ubi quis musicæ modulari concesserit, ac per aures infundere. Multò sanè apertius est secundum, quàm primum. Rursusq; procedens inquit; ubi infundens non remittit, sed mulcet, quod post hoc, liquefacit ac fundit. Nam fundere magis declarat quàm liquefacere, poematiq; propinquius. Quod si ipsum prædidisset debilius liquefacit uisum esset illatum, sic Home

rus in Cyclope ſemper exceſſum extollit, non enim ſimilis erat uiro comedenti, ſed monti nemoroſo, ac mõti ſublimi præterea qui ſupra alios eminens uideretur. Semper enim quæ prius ſunt magna minora uidentur, cum illis maiora poſtea inferantur. Operæprecium eſt autem *coniunctiones etiam non ualde diligenter retribui, ut huic cõiunctioni accidit, hunc autem.* Eſt *enim diligentia hæc pertenuis: ſed ſine ordine quodammodo uti conuenit, ut ſcribit alicubi* Antiphon. *Inſula enim erat contigua, manifeſta quidem longinquis & alta & aſpera.* Et; *quæ ſanè utilia ſunt & culta perexigua ipſis ſunt.* Q*uæ uerò ſterilia per multa, cum ipſa ſit parua.* Tribus *enim coniunctionibus, quæ uerò, opponitur. Sæpius enim coniunctiones ex ordine poſitæ uel parua magna efficiunt, ut apud* Homerum; *nam nomina* Bæoticarum *ciuitatum cũ ſimplicia eſſent ac parua ob coniunctiones tot ex ordine poſita pondus habent ac magnitudinem.* Velut *in hoc,*

Schænumq;, Scolumq;, petroſam ſic Eteonum.

complentibus coniunctionibus uti conuenit, non tanquam uanis additamentis, aut ſtolonibus, ſiue ramentis, ſicuti nonnulli ad nullum commodum utuntur, & quippe, & utrum: ſed ſi aliqua ex parte orationis magnitudini conferant, ſicut apud Platonem, *ipſe iam magnus in cœlo* Iuppi

ter

ter. Et apud Homerum;

Ast ubi uenerunt iam lati ad fluminis undam.

nam posita in principio coniunctio, atque distrahens, sequentia à prioribus effecit magnum quidpiam; siquidem multa principia grauitatē efficiunt. Quod si ita dixisset; uerùm ubi ad undam uenerunt fluminis, tenui orationis genere esset usus, atque in una re uideretur occupatus. Sumitur hæc coniunctio sæpius in affectis, ut in Calypso ad Vlyssem.

O sate Laerte multorum inuentor Vlysses,
Sic tibi fas petijsse domū, patriasq; penates.

nam si eximas coniunctionem, omnem affectum remouisti: sed ut dicam summatim, uelut inquit Praxiphanes, huiusmodi coniunctiones pro Lacedemonibus & luctu assumebantur, sicut heu heu, & hei. Etq; quale quid est, ut idem inquit, & certè conquerentibus uertit, cùm præ se ferat nominis cuiusdam miseri spetiem. Illi uerò qui nullius rei gratia implentes coniunctionem similes sunt histrionibus ut is asserit, qui hoc & hoc ad nullum uerbum dicunt. Sicuti siquis ita dicat; Calydon quidem uel terra Pelopeia, hei; terræ, quæ pro fretis planitiem habet fertilem: heu heu. Nam sicuti heu heu hic attrahit, & hei; sic qui temerè inijcit ubiq;.

De

De figura orationis Cap. VIII.

CONIVNCTIONES *igitur magnificam efficiunt compositionem sicuti dictum est,at orationis figuræ & ipsæ sunt nonnulla compositionis species.* Nam *eadem ipsa bis dicere, duplicare, referre, uel uersa uice immutare coordinato atq; composito,simile esse uidetur,Sunt autem singula prout suo generi conferunt coordinanda.Primum quidem mutuam commutationẽ ita statues,* Homerus.

ut magnifico,de quo hæc explicãda proponuntur. Primũ

Hi duo nam scopuli, summo hic consurgit
Olympo.

Nam *multò ita magnificentius casus mutationes q̃ si ita dixisset,ex duobus scopulis hic consurgit ad cœlũ.* Nã *rem pro consuetudine dixisset:atq;omne ex consuetudine parum habet magnitudinis, minimeq; admirabile est.* Nereum *autem & ipsum esse paruum, & res illius paruas;at tres naues & paucos homines & magnũ fecit,et res eorum magnas,et multa,pro paucis, cum figura duplici mistaq; ex relatione & dissolutione usus sit.* Inquit *enim* Nereus, *tres naues, duxit* Nereus, Aglaiæ *filiusq;* Nereus, *qui uir pulcherrimus.* Nam *dictionis relatio in idem nomen* Nerei,*atq; dissolutio, multitudinem rerum significat, cum duæ sint aut tres.* Nam *semel*

mel Nereo nominato in scripto nihil magis recordaremur quam Achillis aut Vlyßis, quæ singulis cum uerbis soluuntur ferè. Est autem causa uis ipsius figuræ. Sin autem ita dixisset; Nereus Aglaiæ filius tres naues duxit, uideretur Nereum conticuisse. Nam uelut in conuiuijs per pauca si rectè disposita sint, permulta uideri solēt, sic etiam in orationibus accidit. Sæpius enim solutioni contraria textura magis est magnitudinis causa, ut; cum Græci & Cares militarent & Lycij & Pamphylij, & Phryges. Nam ipsius eiusdem coniunctionis positio infinitam propè multitudinem præ se fert. At huiusmodi; curua albentia, coniunctionis, et exceptione, multò maius exijt quam si dixisset, curua & albētia. Nam magnum est in figuris non diutius in ijsdem casibus commorari. Vt Thucydides. Et primus tabulata conscendens animo defecit atq; ipso in remigium collabente. Nam multò ita maius, quam si in eodem casu ita dixisset; quod incidit in remigium atq; proiecit clypeū. Ac repetitio magnitudinem efficit, uelut Herodotus. Dracones erant inquit in Caucaso magnitudine ac multitudine, nam orationi magnitudinem quandam præbuit. Nam figuris uti non frequētibus inelegans est, ac orationis inæqualitatem quandam demonstrat. Maiores idcirco multas figuras in orationibus ponentes, quia

magis

magis artificiosè composuerunt, magis nobis familiares sunt ijs qui sine figuris sunt locuti.

De collisione. Cap. IX.

De collisione uerò uocalium alij aliud senserunt: siquidem Isocrates, quiq; eum secuti sunt, magnopere ne colliderent studuerunt. alij quidã ut accidebat eas permittebant collidere, idq; ubique. Opus est autem neq; sonoram ipsam compositionem efficere, ipsasq; minus artificiosè ut accidit perpeti collidere: nam res huiusmodi distractioni orationis atq; disiectioni comparari posset, neq; tamen seruanda est omnino literarũ continuatio, quia sic leuior fortasse fuerit compositio, insulsiorq; & minus artificiosè fatua, cum multam priuetur concinnitate quæ nasceretur ex collisione. Primum autem spectandum est quòd & ipsa consuetudo has ipsas literas ipsis nominibus impegit cùm ipsam cõcinnitatem præcipuè sectaretur, ut, in æacus dictione, ac nix. multa sunt etiam nomina, quæ ex solis constant uocalibus. ut, pulsatio, & eueius: neq; tamẽ magis hæc sunt reliquis absurda, uerùm fortasse magis etiam concinna. Alia sunt poetica, ut sol diuisum atq; studiosè collidens nomen, magis sonorum est quàm sit sol: & montium, quã montium. Habet.n. solutio atq; collisio quasi innatã cantilenam

αἰακὸς καὶ χιών. αἰχίη καὶ εὔιος. ἠέλιος, ἥλιος. ὀρέων, ὀρῶν. καλάεσιν, κάλ'εσιν.

cantilenam quandam. Cõplura etiam forent inconcinna si per synalephen prolata sint, quæ diuisa cõcinna fiunt magis, atq; collidentia: ut, omnia quidem noua & pulchra sunt: nam si cõmisceas dicasq; pulchra sunt, & minus concinnum erit quod dicetur, & simplicias. Deorum *etiam laudes in ægypto per septem uocales concelebrant, qui ipsas in sacris deinde per sonum proferunt.* Nam *pro tibiæ atq; citharæ harum literarum sonus ob concinnitatem auditur: quibus cõcluditur quòd is, qui collisionem uocaliũ adimit, nihil prorsus aliud aufert ab oratione insulsè quam iucunditatem ac concinnitatem.* Sed *de his ut ulterius orationem protendamus, minus postulare uidetur occasio.* At *in magnifico dicendi genere maxime conueniens assumeretur comparatio, per longas, uelut saxum desuper impulit.* Nam *uersus longitudinem quandam ex collisione obtinuit: permistaq; est & uis & lapidis latio.* Similiter *& illud* Thucydidis, *non esse mediterraneam.* Concurrunt *diphthongis etiam diphthõgi, hanc* Corcyræi *habitarũt, cõditorq; fuit.* Nam *cum ea quæ longa sunt magnitudinẽ efficiunt collidentia, tum etiam ipsæ diphthongi.* Differentium *uerò collisiones & magnitudinem & uarietatem simul efficiunt, ex non multo sono, ut aurora.* At *in dictione qualem, nõ solum differunt literæ, uerumetiam soni; cum his*

λᾶαν ἄνω ὤθεσκεν.

ἠώς.

οἷην.

D *sit*

sit densus, ille tenuis, ita ut multa sint dißimilia; in odis etiam cantilenæ fiunt ab una eademq; lõga litera, ut odis interpositis odis. Quamobrem similium collisio per exigua quædam pars erit odæ, ac cantilena. Sed tot dicta sint de collisione, atq; quo pacto magnifica fieret compositio. Est autem magnificentia etiam in rebus, si magnum sit ac conueniens, & pedestre et nauale praeliũ, uel de terra oratio, uel de cœlo. Qui uerò rem audit magnam, dicentem etiam statim magnificè locuturum esse expectat; sed decipitur, quando non ea quæ dicuntur sunt spectanda, sed quo pacto dicantur: licet tamen ut qui de magnis loquens tenui oratione utatur minus pro rei dignitate faciat; quare graues quosdam, sed non grauiter esse inquiunt, uelut & Theopompum, qui grauia non grauiter dicit. Nicias autem pictor hanc etiam artis pictoris statim esse dicebat non exiguam partem, ut qui magnũ ad pingendũ sumpsisset, artem in minutas partes nõ dispderet; uelut in auiculas aut flores, sed in equorum nauiumq; certamina. Hinc multas figuras quispiam dicendo demonstrare poßit: et currentium, & rectè stantium, & aliorum cadentium; tum multos percutientes, multosq; cadẽtes ex equis. nam & ipsum propositum esse partem quandam artis pingendi existimauit, uelut poetarum fabulas. Non est igitur mirum si in ora-

tionibus

tionibus etiam summa magnificentia ex rebus oriatur. Et dictionem in hoc dicendi genere copiosam uariatamq; esse conuenit, uel potius inusitatam; sic.n. magnitudinem consequetur. At quæ propria est & usitata, semper est manifesta, quamobrem facile contemnitur.

De translatione, comparatione, & collatione. Cap. X.

Translationibus in primis uti conuenit, nam hæ & magnitudinis plurimum, & uoluptatis conferunt orationibus, & ijs non crebris ubi dithyrambum scribimus pro oratione, neq; è longinquo sane deductis, sed indidem, atq; ex simili. Velut similes inter se esse uidentur dux militum, nauis gubernator, & auriga, quia omnes isti dominantur: tutò igitur dicet, qui ducem gubernatorem ciuitatis dixerit; ac rursus gubernatorem, naui imperantem. Non omnis autē rei tribuitur, ueluti quæ prædictæ sunt: quādo radicem montis, licet poetæ dicere Idæ pedē, at pedem hominis radicem montis non etiā. Vbi uerò periculosa translatio esse uidebitur, in comparationem assumatur, sic.n. securior erit similitudo comparatio sed translatio exuperat, ut siquis Pythoni oratori fluenti contra uos addens dixerit, uelut contra uos fluenti, sic.n. facta est comparatio, atq;

securior est oratio: illo uerò modo est translatio, & periculo propius. Idcirco Plato etiã periculosum quidpiam facere uidetur, qui potius translationibus utitur quàm comparationibus. Vtitur uerò comparationibus magis Xenophõ, at optima uidetur Aristoteli translatio, uel uocata ab effectu, ubi anima carentia efficere inducuntur tanq̃ habentia animam, uelut in sagitta;

Per populũ promptè saltat irata sagitta.

Et gibbosa surgentia, hæc.n.omnia & surgẽtia & irata animatorũ) exactionibus cõueniũt. Nõ nulla tamen apertius dicuntur in translationibus, ac magis propriè, quam in ipsis proprijs. ut hoc; inhorruit prælium. Nullus enim cum mutauerit per propria, neq; uerius dicere poterit, neque apertius. Nam tumultum qui fit ex bactis sensim atq; continuè resonantem, inhorrens prælium nominauit, atq; simul assumpsit quodãmodo prædictam translationem ab effectu: cũ prælium tanq̃ animal horrere dixerit. Scire autem est operæprecium quod nonnullæ translationes magis tenuitatem præbent quam ullam magnitudinem, quamuis ad magnitudinem sumpta sit translatio, ut hoc; buccinat hic circum magnum cœlum. Nam non oportebat totum cœlum resonans resonanti tibiæ comparare. Nisi siquis Homerũ difendere uoluerit ac dicat, quòd ita magnum cœlum resonabat, ac si totum cœlum buccinans

cinans resonaret. Alteram *igitur translationem cognoscemus, quæ magis tenuitatis sit causa quã magnitudinis.* Nã *opus est à maioribus ad parua transferre, non autem ex aduerso. uelut inquit* Xenophon, *postea proficiscenti ex phalange fluctuauit.* Nam *digreßionem ex ordine mari fluctuãti comparauit ac ita nominauit, quòd siquis mutet ac mare dicat, ex phalange discede re, fortasse non rectè ac concinnè transferet.* Om *nino uerò quouis pacto erit pertenue.* Nonnulli *sunt rursus, qui translationes illatis appositis tutiores faciant, ubi periculosæ illis esse uideantnr, uelut* Theognis, *qui apposuit de arcu percutiente, arcu tibia sine chordis; nam tibia periculosum est de arcu, ac sine chordis fit securius.* Verum *cum omnium aliarum rerum tum præcipuè translationum consuetudo est magistra.* Non *parum deest quin omnia clam transferat, cum tutò transferre liceat, cum & candidã uocem dicat, & acutum hominem, & asperum mòrem, & oratorem paruum, et quæcunq; alia ita concinnè transferuntur, ita ut proprijs simillima esse uideantur.* At *ego hanc regulam translationis in orationibus seruandam esse iudico, ut naturam artemq; ipsam cõsuetudinis seruemus. ita.n, rectè nõnulla transtulit consuetudo, ut nequaq̃ proprijs indigeamus: sed perstiterit trãslatio, quæ proprij locum occupauerit.* Velut *ui-*

tis

tis oculus,& ſiquid aliud ſimile. Vertebra ſpinæ, & clauis in corpore, et pectines nequaquam dicuntur per translationem, ſed per ſimilitudinem. Quia hæc quidẽ pars pectini eſt ſimilis, hæc claui, illa uerticillo. Cum facimus comparationẽ translationem, ueluti dictũ eſt, cõſiderãda eſt breuitas, ac nihil plus quã cõuenit apponatur, quoniã pro comparatione collatio erit poetica, uelut illud Xenophontis; *nam uelut generoſus canis ſine cunctatione contra aprum currit, & uelut equus ſolutus per planitiem exultans atq; calcitrans.* Hæc.n. *non amplius comparationibus ſunt ſimilia, ſed poeticis collationibus, quibus collationibus neq; facilè in pedeſtribus orationibus uti cõuenit, neq; ſine ſumma diligẽtia.*

De compoſitis nominibus. Cap. XI.

θεοπέρατης. δορύπυρον.

Verum ſumenda ſunt nomina etiam compoſita ad translationes, ut ſummatim dicam, at non ea quæ dithyrambicè compoſita ſunt, ut diuinitus peractos errores : neq; aſtrum flammatum exercitum : ſed ea quæ uideantur ex ueritate eſſe compoſita. Generatim *uerò hanc nominũ regulam conſtituimus, quæ legislatores dicat, et architectos, aliaq; complura huiuſmodi tutò cõponat.* Habebit *enim nomen compoſitum & uarietatem quandam ſimul, & magnitudinem ex*

compositione, atq; breuitatem nonnullam. Nam *pro tota oratione ponetur nomen: uelut si frumẽti lationem, frumentationem dicas: nam ita multò maius. Sed si nomen in orationem solutum fuerit, alio modo maius fortasse dicetur, ut frumenti importatio, pro frumentatione, nomen pro oratione posui: uelut inquit* Xenophon, *quòd nõ licebat asinum agrestem capere, nisi equites distantes uenarẽtur nomine excipientes.* Vt, *quòd alij à tergo insectabantur, alij uerò à fronte impellentes occurrerunt: ita ut asinum mediũ exciperent.* Cauendum *est autem ne duplicia nomina duplicia ponamus, quòd hoc solutæ orationis speciem præse feret.* Facta *uerò nomina definiũtur ad imitationem prolata uel rei, uel affectus. uelut id; stride & id; lambentes.* Effici*t maximè magnificentiam quia ueluti sonis sunt similia, et externorum præsertim: non.n. existentia nomina dicit, sed tunc facta, atq; sapiens quiddam esse uidetur nominis, ac sententiæ generatio: uelut consuetudinis: potest.n. cum nominum inuentoribus comparari, qui primi nomina imposuerunt.* Primum *autem coniectura uti conuenit in facto nomine, ut splendorem consuetudinẽq; seruemus, ac deinde ad posita nomina similitudinem aucupemur: nequis aut* Phrygiorum, *aut* Scytharum *more loqui uideatur inter* Græca *nomina. facienda sunt uerò non nominata, uelut tympana,*

aliaq;

aliaq; effœminatorum instrumenta, impudicitiæ
ἐλεφαντιστὴν. inquiens. Tum Aristoteles elephanti magi strũ
secundum posita uomina ipsũm nominauit. Ve-
lut nauitam quidam dixit eum qui remex nauẽ
αὐτίτην. subigit. Et Aristoteles uernaculum eum, qui so-
lus esset ipse. At Xenophon permutauit inquit
dux militum acclamationem eleleu, quam dux
semper exclamabat, cum opus sane periculo ple
nũ nomini comparasset, ut antea dicebam; atque
ipsis poetis. Tum duplex nomen speciem facti
nominis præ se fert: siquidem omne composi-
tum ex quibusdam componentibus constat. Est
autem magnum quidpiã etiam allegoria, atq; in
minis præcipue. Velut & Dionysius, quòd cica-
dæ ipsis, ut ad terrã decidant imprecantur: qua
re si ita simpliciter dixisset, quòd Locridem in-
cidit regionem, & magis iracundus uisus fuis-
set, & multò magis tenuis, nunc uerò quasi ope
rimento quodam usus est orationis. Quicquid
uerò suspectum est maiorem incutit metũ, nam
alius aliud suspicatur. Ille autem qui manifestũ
uidet timendum, ut contemnant par est; ueluti
accincti cõsueuerunt. Idcirco mysteria etiam in
allegorijs dicuntur ad timorem, ac reuerentiam,
uelut in ipso & nocte: est enim similis allegoria
ipsi & nocti. Obseruandum est autem, & in hac
continuò ne nobis ænigma fiat oratio, uelut in
medicorum cucurbitula, uirum uidi ignitum
æreum

ӕreum uiro adhærentē. Complura etiam Lacones in allegorijs dicebant perterrentes, ut, Dionysius ad Philippum in Corintho: atq; alia huiusmodi nō pauca. Est breuitas etiam aliquo pacto magnifica, atq; reticentia maximè, nam nōnulla sunt, quæ maiora uideantur non dicta, atq; magis suspecta: aliquando etiam tenuis est, nam in duplicibus sermonibus magnitudo inuenitur, uelut Xenophon. currū inquit ferebātur hi quidem per ipsos amicos, illi uerò per hostes: multò.n.ita maius quam si ita dixisset; & per amicos, & per hostes ipsos. Sæpius autem & obliquum maius est recto: uelut; hæc erat sententia, ut in Græcorum acies uenirent, ac ferirent, pro eo; decreuerant irruere, ac percutere. Confert et nominum similitudo, & apparens uocis incōcinnitas: nam dissonum sæpius est tumidum, sicuti; Aiax autem magnus semper contra Hectorem, nam multò magis Aiacem magnum demonstrauit duorum complexio clypei septem pellibus bubulis cōtexti: At uocatam exclamationē definire facilè posset quispiam dictionem exornantem. Est autem in orationibus magnificentissimum: ex dictionibus aliæ seruiunt, aliæ exornant: seruit quidem huiusmodi:

Qualem pastores Hyacinthū mōtibus altis
Conculcant pedibus.

Exornat uerò illatum, humi sed purpureus flos.

E hoc

hoc.n.manifeste ornamentū, et pulchritudo prædictis illatum est, quarum rerum plenam sunt Homeri *poemata.ut,*

Ex *fumo expósuit non amplius illa uidētur,*
Cū Troiā *peteret, quæ quōdā liquit* Vlysses.

Est *aliquo pacto hoc etiam maius;*

Iniecit *mentibus istud*
Numen *ne uino capti, certamine & orto*
Vulnera *feratis uicißim.postea acclamatio;*
Nāq; *hoīes ipsū trahit ad certamina ferrū.*

Atq; *ut uniuerse loquar exclamatio rebus diuitum comparari potest ostētationibus æqualibus inquam & triglyphis, purpurisq; plateis.Est.n. ipsa ueluti signum quoddam diuitianum in orationibus.* Videtur *autem & enthymema species quædam exclamationis, cū tamen non sit: non.n. ornatus gratia assumitur, sed demonstrationis: præter id quod exclamationis more extremo loco dicitur.Similiter uerò sententia etiam in prædictis exclamationi similis esse uidetur, cum tamen neq; ipsa sit exclamatio:nam sæpius præponitur, aliquando exclamationis locum consequitur, at hoc;*

Nec *fugiturus erat demens crudelia fata.*

Neq; *ipsum est exclamatio, non.n.extremo loco dicitur, neq; exornat, neq; omnino simile est exclamationi, sed potius acclamationi, uel occulto conuicio.* Hoc *autem in orationibus est poeticū:*

quòd

quòd uerò magnificum sit,uel cæco manifestum esse inquiunt. Præterea alij nuda quidē prorsus utuntur poematum imitatione,uel potius nō imitatiōe,sed transpositione,uelut Herodotus:*quòd & si quidpiam* Thucydides *à poeta sumpserit cum propriè eo utatur,illud etiam sumptum efficit proprium,ut poeta inquit de* Creta;

Creta iacet medio tellus circunflua ponto,
Pulchra, ferax,

Nam hic ad magnitudinem circunflua usus est, at Thucydides *cōcordes esse Siculos optimū esse existimat,cum eiusdem sint loci incolæ,ac circunflui:atq; hæc omnia cum dixerit terram pro insula scilicet,& circunflua eodem pacto,nihilo minus alia dicere uidetur:quamobrem non tanq̄ ad magnitudinē,ipsis usus est,sed ad concordiā.*

De frigido quod magnifico opponitur. Cap. XII.

Sicuti nonnulla praua urbanis quidē quibusdam sunt propinqua,ut confidentiæ audacia, pudor uerecundia:eodem modo quædam dicenai generibus in oratione peccata comperiuntur finitima:atq; de ijs prius dicamus, quæ uiciniora sunt magnificentiæ. Nomen *igitur primum illi inest frigidum : atque frigidum ita definitur à* Theophrasto; *frigidum illud est quod familiarē*

ἀπυνδάχωτος, τραπεζοῦται. — *dicendi usum excedit, ut sine fundo calix in mensa non ponitur ~~in mensa~~: pro eo quod est, sine fundo calix in mensa non ponitur.* Nam *cum res sit parua non percipit tantam dictionis magnitudinem: fit autem frigidum in tribus, uelut etiã magnificum: uel in sentẽtia, in* Cyclope Vlyßis *nauem lapidibus percutiente.* Dixit *enim quidam quod dum lapis ferretur, oues super ipso pascebantur.* Nam *ex exuperante sentẽtia, & quæ fieri non poßit frigidum nascitur: in dictione quadrupliciter fit, ut asserit* Aristoteles: *ut* Alcidamas *humidum sudorem: uel in composito ubi nominis geminatio in dithyrambi morem composita est, ut dixit quidam per deserta uagans, ac aliud quiddam ita tumidum: fit frigidum etiam in trãslatione, tremẽtes ac pallidas literas: quadrupliciter igitur ita fieri posset secundum dictionem.* Frigida *compositio, quæ non est concinna, sed quæ dißona sit, atque ubique longas habeat, ut huiusmodi; accedens in nostram regionem uniuersa nostra recta existente.* Nihil *enim habet orationis, aut tutum ob longarum continuationem: frigidum est etiam metra continua ponere, ac non abscondita ob continuationem, ueluti quidam.* Nam *intempestiuũ poema frigidũ: sicut.n. hypermetrũ, atq; uniuersim qualecũq; sit iactãtia, tale est & frigidum: nam & iactabundus ea sibi adesse gloriatur*

ἀπύθμενος.

ἐρημόπλανος.

quæ

quæ non sunt, tanquàm adessent, similiter paruis rebus tumorem inijciens et ipse in paruis iactabundo comparari posset. Atque quale est ornamentum excedens in prouerbio, tale est in oratione sublatum in rebus paruis: quamuis dicant nonnulli res paruas oratione magna dici oportere cuius rei argumentum arbitrã tum exuperantis roboris. Ego quidẽ Polycrati oratori cõcesserim, qui Agamemnonem laudat in contentionibus omnibusq; laudatiuis modis. Iocabatur enim, non autem seriò dicebat: atq; ipse scripti tumor iocus est profectò. Iocari quidem liceat ut dixi, at decorum in omnibus rebus est seruandum, hoc est utiliter dicendum est & decenter. Parua enim tenui orationis genere, at magna sublimi dicenda sunt: ueluti Xenophon de fluuio Teleboa qui erat paruus ac pulcher inquit; hic autem fluuius non erat quidem magnus, pulcher autem. Nam compositionis breuitate, atque cum in, autem, desierit, paruum fuisse fluuium nobis ferè demonstrauit. Ast alius loquens de simili Teleboæ fluuio inquit, quòd ex montibus Lauricis defluens prorumpit in mare; quasi præcipitatum Nilum declararet aut Istrum in mare irrumpentem: omnia igitur huiusmodi frigida uocanda sunt. Fiunt parua & alio modo grandia, at non per indecorum, sed necessario aliquando, ut cum ducem aliquem, qui parua rectè gesserit

ſerit extollere uolumus, quaſi magna rectè geſſerit. Vt quòd in Lacedæmone Ephorus cũ loris cecidit, qui nimis accuratè ac nõ patrio more pila luſiſſet: hunc enim inde carpimus cum paruum ſit quod inſectamur, quia illi qui prauos exiguos mores concedunt, maioribus malis uiam aperire uidentur; & quia in minoribus erroribus animaduertere præſtat, prius quàm ad maiores accedatur. Hinc enim fecimus prouerbium; principium totius dimidium. Quippe quod cum paruo hoc malo comparari poteſt, uel quod nullum malum eſt paruum ſic liceat & præclarum facinus exiguum magnum efficere, nõ ita tamen ut indecorum quidpiam faciamus. Verum ut magnum utiliter ſæpius extenuatur, ſic paruum etiam extolli poterit. Maximè omnium frigidus eſt exceſſus, qui triplex reperitur. Nam uel per ſimilitudinem profertur,

Ventis curritq; ſimillimus idem.

Vel per præſtantiam; candidiores niue: uel ſecundum id quod fieri nequit, nam omnis exceſſus fieri nequit ut illud; caput inter nubila condit. Neque enim eſt quicquam niue candidius, neque uentus par currendo, ipſe profectò dictus exceſſus qui fieri non poteſt præcipuè nominatur: quamobrem omnis exceſſus cum non poßit frigidus eſſe uidetur. Idcirco etiam comici ipſo præcipuè utuntur, quoniam riſum ex ijs quæ

fieri

fieri nequeunt, aucupantur. Quemadmodum quidam Persarum excedens insatiabilitatẽ inquit, quod totas regiones excernerent, bouesq; ferrent in maxillis. Eiusdem est generis serenitate caluior; & colocynta sanior: auro uerò magis aurea Sapphicum dicitur in excessu, quod et ipsum nequit fieri: in ipso præterea quod nequit fieri habet gratiam quandam, non autem frigus, quamobrem diuinam Sappho merito quispiam admiraretur, quòd iucundißimè re utatur ea quæ natura periculo sit propior, atque difficulter rectè agatur. Atque *de frigido & de excessu tot à me dicta sint: nunc uero ad uenustũ dicendi genus transeamus.*

De uenusto. Cap. XIII.

Venusta oratio est, gratiosum quiddam, iucundusq; sermo. Atque ex gratijs aliæ maiores sunt grauiores, ut quæ poetarum; aliæ simpliciores, magisq; comicæ, cauillationibusq; per similes. Vt Aristotelis Sophronisq; gratiæ ac Lysiæ: Nam hoc; cuius uel digitos facile quispiam quam dentes posset dinumerare, de muliere uetula. et; quot plagas dignus eras ut caperes, tot dragmas cepisti. Nam urbanè dicta huiusmodi nihil à cauillationibus differunt, neq; longinqua sanè sunt à concitando risu. at hoc; unà cum hac nymphæ

τῶν δὲ χαρίτων. *quo tuus melius uerteremus non occurrebat.*

Colludunt una Nymphae, Latonaque laetata est

nymphae iocantur; & laetata est mente Latona, & Rhea clarissima est; pulchrae autem omnes. et ipsae graues sunt quae dicuntur gratiae, & magnae: utitur his ad grauitatem et ad declarationem aliquando Homerus, ac ubi iocatur magis est timendas. primus enim uidetur timendas gratias inuenisse, uelut illud in persona Cyclopis in suasissima, ut; Utinem ego ultimum comedā, at reliquos priores, munus est Cyclopis: non enim in alijs ita grauem illum demonstrauit, ubi duos socios comedit: neq; ex scuto, aut exclaua, quem admodum ex hoc urbane dicto. Utitur genere huiusmodi Xenophon etiam, cum & ipse grauitatem inducat ex gratijs: uelut de armata saltatricula. Nam interrogatus à Paphlagone an mulieres quoque unà militarent, respondit, ipsae enim uel regem in fugam uerterunt. Duplex est autem grauitas ex gratia; altera quòd mulieres illos non sequebantur, sed Amazones; altera contra regem cum ita esset debilis ut uel mulieres fugeret.

οὖτιν Vlyßis nomen, nullū significat.

De gratia orationis Cap. XIIII.

Tot sunt profectò ac huiusmodi orationis gratiae: sunt uerò aliae gratiae in rebus, ut Nympharum horti, Hymenaei amores tota Sapphus poesis. Nam res huiusmodi etsi uel ab Hipponacte

licantur
nacte dicerentur, uenustæ sunt, atq; res ipsa per se est hilaris: nullus siquidem Hymenæum canit iratus, neq; in oratione Amorem faciet erinym, aut gigantem, uel ridere esse lugere: quod si qua gratia inest rebus, uel dictio ipsa rem faciet uenustiorem, ut; auara puella.

Ac ueluti philomela canit tū dulce, tepenti
Cum tellus Zephyro lætatur tempore ueris.

Hic.n. & philomela suauis est auicula, & uer natura iucundum, ac multum oratione est exornatum: atq; suauior est philomela, dixisseq; auara puella de aue, quæ omnia propria sūt poetæ. Sæpius & res ipsæ iniucundæ sunt natura, ac mœstæ, at fiunt hilares à dicente, quod apud Xenophontem in primis reperiri uidetur. Nam cū personam non ridentem, ac mœstam sumpsisset Persam Aglaitadam, suauem risum ex eo inuenit: quod facilius est ignem à te, quā risum excutere: atq; ipsa est ualidißima gratia eaq; indicēte præsertim. Nam res ipsa mœsta erat natura, gratiæq; maximè inimica, ut Aglaitadas: hic uerò ut demonstratum est quòd & ab ijs licet iocari, & quasi per calorem refrigerari, calefieriq; à calidis. Verū ubi declaratū est, quæ & in quibus sint gratiarum genera, nunc locos iam declaremus ex quibus gratiæ nascantur. Erant autem nobis aliæ in dictione, aliæ in rebus, ac demonstremus nunc locos secundū utranq; par-

tē,priusq; dictionis. Prima igitur recta est gratia ex breuitate,cum illud productum fieret iniucundum,at iucundum ob celeritatem, ut apud Xenophontem;tali existenti nihil adest ex Græcia,quando ipsum ego uidi tanq̄ Lydum ambabus auribus contritis:atq; ita habebat: nam extremo loco dictum,ita habebat;gratiam aucupatur ex breuitate : quod si pluribus esset productum,quòd hæc uerè dixerit,manifestè certè deuastatum esset:at nuda fuit expositio pro gratia. Sæpius duo etiam per ūnū gratiæ causa dicuntur,ut dixit quidam de dormiente Amazone,quòd extensa iacebat,et pharetra plena,scutum in capite,at cingulum non soluunt.In his.n. & cinguli lex dicta est, & quod cingulum non soluit, duæq; res una oratione,atq; ipsa breuitate,quòd est uenustum.Secundus locus est ordinis: nam idem primum, uel medium fit iniucundum, at iucūdum in fine,ut inquit Xenophon de Cyro;dat illi dono etiam, & equum, & stolam,& torquem,et ne regio amplius deuastetur ob inusitatum donum,ac proprietatē:est.n.locus gratiæ autor. Nam si prius ita ordinatum fuisset, erat iniucundius,ut; quod illi donò dat etiam ne regio amplius deuastetur,& equum,& stolam, & torquem.Nunc uerò cum sueta dona dixerit, ultimum induxit externum,& inusitatū:ex quibus omnibus gratia elicitur.Gratiæ autem,quæ

nascuntur

nascuntur ex figuris sunt manifestæ, ac plurimæ apud Sappho: uelut ex repetitione sponsa inquit ad Virginitatē; Virginitas Virginitas quo abis me deserens? hæc uerò illi respondet per eandem figuram; non etiam reuertar ad te, non etiā reuertar. Plenior est.n. gratia oratio quā si semel & sine figura dictum fuisset. Ipsa sanè repetitio uidetur inuenta fuisse ad grauitate magis. Hæc uerò uel grauissimis supra modū utitur ad gratiam: aucupatur aliquando, uel ex relatione gratiam, ut de uespere; uesper omnia fers inquit, uinum affers, affers capram, affers matri filium: nam hic inest gratia ex dictione affers cum in idem referatur: permultas & alias gratias aliquis proferre posset. Fiunt & ex dictione gratiæ ex translatione scilicet, ut de cicada; alarū suffundit sonorum cantum, quod si rubrum rete aduolans prospiceret, ex composito nomine, & dithyrambico here diuitias nigras alas habentium: hoc ipsum graue ante alas facito: quæ comici sunt præcipuè, ac satyrici lusus. Fit etiam ex priuato nomine, ut Aristoteles quātò inquit magis solus sum, tantò factus sum fabularum studiosior, & ex facto, ut idem ibidem; quanto enim magis ipse sum, ac solus, tantò factus sum fabularum studiosior: nam solus iam propriæ est consuetudinis: at ipse ab ipso factum. Multa sunt etiam nomina iucunda præter compositionem

αὐτίτης καὶ μονότης. αὐτίτης.

κόλακας pro κόρακας, quorum hoc adulatorem, illud coruum significat.

nem de aliquo: ut hæc auis est adulator, atq; hic adulatoris est gratia, cum auem uelut hominem cauilletur, & quod nomina non solita aui imposuit: sunt.n.res huiusmodi gratiæ secundum ipsas dictiones: At ex comparatione inquit Sappho de excellente homine;

Egregius cãtor peregrinis Lesbius, ut cum. Hic.n.comparatio magis gratiam fecit quã magnitudinem, quãuis licebat dixisse; egregius uelut luna inter cætera sydera, uel sol splendidissimus, uel quæcunq; alia magis poetica sunt. Ipse etiã Sophron in simili genere: uide inquit quot folia ac stipulas pueri uiros cõculcãt uelut dicãt amica Troianos Aiacem forti. Hic etiã iucunda est comparatio, quæ Troianos deridet tanq̃ pueros. Est autem gratia quædã propriè Sapphica ex comparatione ubi dicens quidpiam immutatur quasi pœnituerit. ut; abluam inquit atrium aeremq; fabrum, gener ingreditur par Marti; magno homine multo maior, quasi ipsam augeat, quia qui esse nequit excessu usa est, & quia nullus est pars Marti. Eiusdem generis id est apud Telemachum, quod duo canes uincti sunt ante aulam, atq; canum nomina dicere possem: sed quid sibi uolunt hæc nomina: hic etenim cõmutatus interea iocatus est, cum nomina conticuerit. Fit etiam gratia ex uersu alieno: ut Aristophanes cum in Iouem alicubi iocaretur, quòd

non

non percuteret malos fulmine, inquit; sed suum templum deijcit; ac Sunium Athenarum promõtorium. Nam non amplius uidetur carpi, ut Iuppiter, sed Homerus, ac Homericum est carmen; atq; inde maior est gratia. Habent allegoriæ etiam quædam nescio quid loquacium, ut in Delphis puer uester audiens refert: & Sophronis dicta de senibus; hic non ego apud uos eiusdem coloris abiuro cũ nauigationem decernam, marinæ.n. mihi iam in littore ligatæ sunt anchoræ: Tum quæcũq; sunt de mulieribus allegoriæ, ut, inter pisces ungues suauius conchylium uiduarum mulierum indagationibus. At minora sunt hæc huiusmodi, & turpia. Est & gratia quædã præter expectationem, uelut Cyclopis; quod ultimũ Vtinem comedam: neq;.n. munus hospitij tale, uel Vlysses, uel qui legit expectauerat. Aristophanes de Socrate, ceram liquefaciens inquit postea circinum capiens ex prlæstra palliũ surripuit. Ex duobus iam locis hic gratia sumpta est: neq;.n. præter expectationem solum dempta est, sed neq; tamen priora consequitur. At huiusmodi consecutio griphus uocatur: uelut Bulias declamans apud Sophronem, nihil.n. dicit se consequẽs: & apud Menandrum Messeniæ prologus. Sæpius gratiam faciunt membra etiam similia, ut Aristoteles, ego Athenis inquit in Stagira iui ob regem magnum: atq; ex Stagiris Athenas

thenas, ob tempestatem magnam. Nam *cum in utroq; membro in idem nomen desiuerit, gratiã conflauit: quod si magnum ab alterutro membro dempseris, simul & gratia peribit: accusationes etiam occultæ gratijs interdum æquiparantur, uelut apud* Xenophõtem Heraclides *apud* Seutham *ad singulos conuiuas accedẽs, persuadẽsq; ut quod habent* Seuthæ *largiantur, nam & hæc gratiam quandam præ se ferunt, accusationesq; sunt occultæ.*

De gratiis quæ rebus insunt. Cap. XV.

Tot sunt & gratiæ, & earum loci, qui reperiuntur in oratione: at gratiæ sumuntur in rebus ex prouerbio, est.n. prouerbium res natura iucunda, ut Sophron; *bibisti inquit, patrem suffocãs: ac alibi inquit; ex ungue leonem pinxit: tonyram rasit, cuminum seminauit: utitur.n. uel duobus, uel tribus simul prouerbijs, atq; ita illi gratiarum est copia.* Verum *omnia fere prouerbia licet ex illius actibus sumere.* Iucunda *est etiam fabula, quæ opportunè dicatur, siue quæ facta sit, uelut inquit* Aristoteles *de aquila, quod ex fame moritur cum rostrum illi nimium curuetur: atq; hoc ipsum patitur, quia cũ esset homo hospitem aliquando iniuria affecit.* Hic *igitur facta fabula usus est, & communi: multas*

autem, et utiles, et rebus familiares cõfingemus, uelut quidam dixit de fele, quod felis unà cũ luna moriatur, & saginetur. Confinxit quòd hinc est fabula, quia Luna felem peperit: non enim solùm erit gratia iuxta ipsam fictionem, uerum etiam fabula iucundum quiddam efficit, cum felem lunæ filium faciat. Fit etiam sæpius gratia ex timore mutato, ut cum quispiam uana pertimescit, uelut si lorum serpentem, aut furnum terræ hiatum esse crediderit: quæ & ipsa magis sunt comica. Similitudines autem iucundæ sunt præterea, ut si Medo gallum gallinaceum comparaueris quòd cristam rectam ferat: regi uerò quia sit purpurea: siue quod gallo clamante exurgamus, uelut exclamante rege ac timemus: sunt autem gratiæ ex excessibus præcipuè in comœdijs: nam omnis excessus fieri nequit, uelut inquit Aristophanes de Persarum insatiabilitate, quòd boues in furnis pro panibus coquerent. Alter uerò de Thracibus, quòd Medorum rex rex Medorum bouẽ integrum in maxilla ferebat. huiusdẽ & hæc sunt rationis, colocyta sanior, caluior serenitate. Et ea Sapphica; multis citharis magis sonora, magisq; aurea auro. omnes igitur huiusmodi gratiæ inuentæ sunt ex excessibus, quamuis differant. Differunt autem ridiculum & iucundum, primum quidem materia; nam gratiarum materia est horti nympharum,

rum,amores, quibus risus haud est comes: risus autem amor & Thersites.tantum enim differũt quantum Thersites ab amore. Differunt autem & ipsa dictione: nam iucundum cum ornatu ac per pulchra nomina profertur, quæ gratias maximè efficiunt.ut; pingitur terra coronis abundans,& dicta Philomela.At ridiculum simpliciorum communiorumq́; est nominum: uelut illud se habet; quantò enim magis ipse sum & solitarius,tantò fabularum factus sum studiosior. postea obumbratur ab orationis ornatu, atque pro ridiculo fit admirabile:nam cum modestia fiunt gratiæ. Ridicula uerò eloqui per, simile est ac siquis pithecum ornauerit. quamobrem Sappho etiam cum de pulchritudine caneret elegans est & iucunda, tum de aëre, de Alcyone:ac pulchra omnino nomina in illius poemate sunt intexta,quorum aliqua et ipsa fecit. Alio enim pacto agrestem cauillatur, ac ianitorem in nuptijs: simplicißima est in pedestribus nominibus, idq; magis quàm in poeticis: ita ut hæc ipsa illius poemata magis differant quam canant at neq; choro conueniunt,neq; lyræ; nisi si chorus quispiam disserat. Differunt præcipuè ex electione,siquidem non idem eligit ac similia is qui iucunda facit, & qui ridicula; sed hic quidem lætos facere, ille risum mouere studet; atque inde hunc risus necessario sequitur,

tur, illum uerò laus: & ex loco; hic enim artes sunt risus & gratiarum in Satyro & in comœdijs. Tragœdia in multis gratias sumit, at risus tragœdiæ prorsus est aduersarius. Nullo enim pacto quispiam iocantem tragœdiam comminisceretur, quoniam satyrum scriberet pro tragœdia. Vtentur uerò prudẽtes ridiculis aliquando, sed opportunè, uelut in festis, & conuiuijs aut delicatiorum increpationibus, ueluti Telauges in sacculo, & poetica Cratetis, aut si quis in intemperantibus lentis encomium perlegerit: huiusmodi est mos etiam Cynicus quam plurimum. Nam eiusce generis riducula & utilitatis uicem præbent & sententiæ. Est declaratio etiam quædam morum ex ridiculis, & nunc lusus, nunc lasciuiæ; uelut etiam uinum effusum habens speluncas, pro œneo. Nã oppositio quæ spectat ad nomina et diligentia frigus quoddã moris ac negligentiã significat. De dicterijs autem est ueluti quædam comparatio, nam oppositio est faceta. Vtentur his comparationibus: ut clematis Aegyptia, longam & nigram, & marinam pecudem: morum in mari. Horũ huiusdi erit usus, quod si non suppetant dicteria ueluti contumelias effugiemus. Faciunt iucundam orationem pulchra etiam nomina dicta, sic igitur ea Theophrastus definiuit.

De pulchritudine nominis & in quibus. Capitolo XVI.

ESТ *autem nominis pulchritudo quæ audienti uidentiq; ſit iucunda; uel quæ ſententiæ honorifica uideatur. Atque ſpectui iucunda ſunt talia; roſaceum flore coloris. Quæcunq; enim ſuauiter uidẽtur, hæc ipſa ſi dicantur ſunt pulchra. Auditui uerò Calliſtratus utiq; cogitans; nam & L. colliſio ſonorum quid habet, atque literarum. Nam enim omnino recipiunt Attici ob bonum ſonum Demoſthenen dicentes & Socraten: ac talia honorifica ſunt ſententiæ, ut maiores magis eſt honorificum quàm antiqui: maiores enim, uiri honorificentiores ſunt.*

δημοσθένην καὶ σωκράτην. ἀρχαῖοι, παλαιοί.

Quod nomen lene aſperumùe ſit, quid bene compactum, quid tumidum. Cap. XVII.

DICITVR *autẽ apud muſicos quoddam nomen eſſe lene, aliudq; aſperum, alius bene compactum, aliud tumidum. Eſt igitur lene nomen, nomen ex uocalibus omnibus compoſitum, aut certè qtam plurimis, ut Aiax. Aſperum uerò, ut uorauit. Atque hoc ipſum aſperum nomen ſecundum ipſius imitationem profertur. bene compactum*

βέβρωκε

ctum quod utriusque particeps, ac æquè literis βροντὰ,
mistum est. Tumidum autem in tribus, latitudi-* βροντὴ.
ne, longitudine, fictione. Vt tonitrus pro toni- σύριγξ ἄν
tru. Nam asperitatẽ quandam capit ex priori τις εἴη.
syllaba, atque ex secunda. Longitudinem ob lon-gam, latitudinem ob Doricam consuetudinem: Dores enim omnia lata uocant, quare neq; car-pebant Dorico more, sed acerba ad Atticum ac cedebant. Lingua enim Attica habet quiddam cõuersum & populare, quodq; his facetijs ma-ximè conueniat. Sed hæc ex arte alio tempore sunt dicenda, ex prædictis nominibus sola lenia nunc sunt sumẽda, quòd uenustum quid habeant. Fit autem uenustum ex compositione etiam, sed de hoc modo dicere difficillimum sanè fuerit: nõ enim ab ullo alio de uenusta compositione scrip tum aliquid habemus. Veruntamen pro uiribus nostris enitendum est ut nos aliquid dicamus: in erit aliqua fortasse & uoluptas & gratia si compositionem ex metris aptè constituamus uel integris uel dimidiatis, at non ita tamen ut me-tra conspiciantur in uerborum connexu: sed si-quis separauerit singula atq; seiunxerit, tunc à nobis metra existentia deprendantur. Quod si metri speciem habuerint eandem gratiam con-flabunt: at clam gratia subrepit ex huiusmodi uoluptate, quod genus frequentißimum est apud Peripateticos, apud Platonem, apud Xenophõ-

tem, & apud Herodotum: atque alicubi fortasse apud Demosthenem. Nam Thucydides hoc genus deuitauit, cuius exempla huiusmodi aliquis capere posset. Vt sicuti in oliua Dicæarchus inquit, Italiæ ætatem iam esse grandæuam. Nam amborum membrorum ædem sunt terminationes, atque metro simile habent quiddam ob connexum ac seriem. Nam metricum occultatur, et non pauca inest uoluptas: Plato enim multis in locis hoc ipso rhythmo producto quodammodo neq; sedem habente neque longitudinem est uenustus. Nam tenue & graue est, at longitudo magnifica. Veruntamen membra quasi lubrico cuipiam comparari possent, ac neque metris prorsus, neq; metris omnino carentibus. Velut in musica ratione. Sed de ambobus nunc dicamus, et rursus & cantans atq; cantilena delectatus totam uitam degit. Et rursus, quid prius haberet iracundiæ uelut molliuit ferrum: sic enim aperte & uenuste & in cantilenæ modum. Quod si conuertens dixeris, uelut ferrum molliuit, uel degit totam uitam, habes gratiam orationis in ipso rhythmo existentem, non equidem in sententia aut in dictionibus. Atq; de musiicis instrumentis rursus suauiter apteq; coniunxit, in quibus inquit; lyra tibi relinquitur in ciuitate. Nam si conuertens dixeris, in ciuitate relinquitur apte componenti persimile efficies: hoc ipsum infert

etiam,

etiam, in agro pastoribus fistula esset aliquanam & extensione, & longitudine sonum quodammodo fistulæ suauiter admodum imitatur, quod erit manifestum si hoc ipsum transmutatum quis dixerit.

De ineptè imitantibus. Ca.XVIII.

DE *uenustate, ea quæ cernitur in compositione tot dicta sunt, ut in difficilibus: dictum est autem de uenusto dicendi genere in quibus fiat, & quo pacto; sicut in magnifico frigidum dicendi genus adiacet, sic etiam uenusto quoddã adiacet erratum, quod communi nomine ineptè imitans appellatur: fit autem et hoc in tribus ueluti reliqua omnia: in sententia, ut dicens, centaurus seipsum equitans: ac de* Alexandro *uolẽte cursu certare in* Olympicis *ita dixit quidam;* Alexander *curre matris tuæ nomen.* In *nominibus ita fieret; ut ridebat rosa suauicolor: nam ridebat translatio transfertur prorsus ineptè, ac compositum suauicolor, quod neq; in poemate quidem aliquis prudens satis aptè collocauerit, uel qui dixit; quòd pinus ob auras susurrabat: in dictione ita.* Compositio *autem anapæstica, quæq; maxime infractis comparari possit, metrisq; indecentibus, qualia fiunt præcipue corpora: ob molliorem exuuias æstũ abscondito: et; quatiẽs hastã* κακόζηλα

Peliadem

Peliadem dextro super humero: pro eo quod est;

Peliadẽ quatiens, humero dextro sup, hastã. *Vbi sanè carmen transformatum uidetur, ueluti illi qui per fabulas ex maribus in fœminas trãsmutati dicuntur, atq; de inepta imitatione tot dicta sint.*

De Tenui. Cap. XIX.

DE *tenui uerò dicendi genere; essent res nõ nullæ fortasse paruæ huic generi maximè idoneæ, ut apud* Lysiam; *est mihi domũcula duplex, quæ superioribus paria habet inferiora.* Oportet *autem singulas dictiones, & proprias esse, et familiares: nam quod familiarius est omnium, illud etiam minus.* Illud *uerò quod est minus familiare, ac translatum, magnificum est: neq; duplicia rursus nomina sunt ponenda, quoniam & hæc contrarij sunt dicendi generis, ac neq; ficta, neq; quæ aliquam efficiant magnificentiã.* Oportet *dictionem maxime esse manifestam, manifestum uerò in pluribus; nam in proprijs primũ, postea in coniunctis, omne siquidem minime cõiunctum, ac solutum, totum est obscurum.* Obscurum.n. *principium singulorum membrorum ob solutionem, uelut ipsa sunt scripta* Heracliti: *nam solutio plurimum hæc reddit obscura, atq; soluta dictio magis fortasse est bellica, quæ eadẽ* Pugnax

imitatrix

imitatrix etiam uocatur, nam solutio simulationem excitat: dictio uerò scribendi, quæ facile legitur, ipsa uerò est compacta, atq; quasi in tuto ob coniunctiones collocata: idcirco etiam Menandrum assimulant in plurimis solutum, atq; Philemonem legunt.

De imitantibus histrionibus. Cap. XX.

Imitantium histrionum præterea solutio, cuius hoc pateat exemplum; concepi, peperi, nutrio amice: ita.n. solutum uel nolenti necessitatẽ inferet per solutionem assimulandi: quod si coniunctè dicas, concepi, & peperi, & nutrio, multã inijcis coniunctionibus indolentiam: nam indolẽs prorsus ab historicis reiectum est: sunt & aliæ speculationes histrioniæ uelut apud Euripidem, iens, arcus arripiens, ac cygno minans aui cacãti in imaginus. Præbet enim multas motiones histrioni cursus ad arcum, aerisq; inspectio personæ cum cygno loquentis, omnisq; reliqua trãsformatio facta ad histrionem: uerũ non est nobis nunc de imitatione histrionia proposita oratio.

De repetitione. Cap. XXI.

AMBIGVA *etiam fugienda sunt in manifesta scriptura, ac uti conuenit figura repetitione*

resumptione   resumptio
petitione uocata: est autem repetitio eiusdẽ coniunctionis illatio in orationibus, quæ per longũ interuallum inferuntur; ut quæcunq; fecit Philippus, & quo pacto Thraciam euertit, & Chersonesum cepit, & Byzantiũ obsedit, & Amphipolim nõ reddidit, hæc equidem prætermittam: nam illata coniunctio nobis propositionem ferè in memoriam reuocat, atq; retrahit ad principium. At sæpius differendum est declarationis gratia: proprium est.n. quodammodo quod breuius, & apertius. Quemadmodum igitur transcurrentes aliquando contemnuntur, sic etiam dictio ob celeritatẽ non auditur: fugiendæ sunt etiam obliquitates: nam & hoc obscurum est, uelut Philisti dictio. Exemplum autem breuius obliquæ orationis, atq; idcirco obscure
uel per rem obscuram, ut apud Xenophontem, ut quod triremes audijt ab Ionia in Siciliã nauigantes. Tamum habentem Lacædemoniorum, ac ipsius Cyri. Hoc autẽ per rectum ita certè dicetur; triremes in Siciliam expectabantur, multæ quidem Lacænæ, ac multæ ex Persia quæ Cyro compactæ fuerunt; (τὸ δὲ hoc ipsum) nauigabant ab Ionia, quibus præfectus erat Tamus Aegyptius: hoc pacto longius dictum est fortasse, at apertius, atq; uti conuenit omnino, & ordine nominum & natura: uelut hoc; Epidamus urbs est à dextris ijs, qui in sinum nauigant Ionium. Primum.n. nominatum est de quo, secundo quod hoc est, quòd ciuitas,

uitas,& alia deinceps. Fieret aût etiam ex con uerso, ut hoc; est urbs Ephyre, uerũ huiusmodi ordinem minus probamus, neq; alterum reprobamus, quatenus solam naturalẽ ordinis speciẽ posuimus. At in narrationibus incipiendũ est, uel à recto, Epidamnus est ciuitas, uel ab accusatiuo, ut hoc dicitur; Epidamnum ciuitatem. Reliqui uerò casus obscuritatem quandam offundunt, ac ambiguitatem tum ipsi dicenti, tum etiam audientibus. atq; danda est opera ne in longũ circumactiones protrahamus, Achelous enim fluens ex Pindo monte apud Stratum desuper, rursus in mare prorumpit: sed ibidemq; et cõquiescamus, et quietẽ præbeamus audientibus, hoc pacto; Achelous enim ex Pindo monte defluit, atq; in mare prorũpit. Ita.n. multò, aptius nam uelut uiæ quæ multa habẽt signa multas etiã habent cessationes, nam signa quasi ductoribus sunt similia. Quæ uerò sit sine signis, atq; uniformis, & si parua sit, incerta tamen uidetur. atq; de perspicuitate tot dicta sint, quasi perpauca ex multis, qua uti conuenit in tenuibus præcipuè orationibus. Fugiendum est præterea in generis huiusmodi compositione, hoc primum, ne longa sint membra, omne enim longum magnificum est, uelut in metris heroicis, hexametrum heroicum est, quod & ob magnitudinem, quòd heroibus conueniat, uocatur.

Comœdia noua cõtracta est in trimetrum; nam trimetris sæpius utimur, atq; cæsis aliquando: ut inquit Plato: *Veni heri in Piræum cũ Glaucone: frequentes enim sunt cessationes, ac depositiones.* Aeschines *consedimus inquit in sellis in Lyceo ubi certaminum præfecti certamen cõstituerunt.* Habeant *autem firmam sedem fines membrorum, ac basim, uelut ea quæ dicta sunt.* Nam *extensiones eæ, quæ fiunt in fine, magnificæ sunt, uelut ea* Thucydidis; *Achelous fluuius defluens ex* Pindo *monte, & quæ sequuntur.* Deuitandæ *sunt igitur longorum elementorum complexiones in hoc dicendi genere, atque diphthongorum etiam: est enim tumidum quiddam omnis extensio:* Sicubi *uerò breues sint cum breuibus collidantur: ut; omnia quidem noua pulchra apparent, uel breues cum longis; ut sol: uel alio quouis modo cum breui,* ἥλιος. *omnino uerò contemnendus uidetur huiusmodi orationis modus, atq; humilis, atq; is simul, qui hæc ipsa fecerit.* Fugiendæ *sunt figuræ etiam significantes, siquidem omne insigne insuetum est, & non humile.* Perspicuitatem *uerò probabilitatemq; hoc dicendi genus maximè complectetur.*

Verum dicẽdum est de perspicuitate, & probabilitate.

De Perſpicuitate. Cap. XXII.

DICENDVM *eſt igitur de perſpicuitate primùm: ſit enim perſpicuitas ex diligentia orationis, cum nihil aut concidimus, aut relinquimus. ut, ſicut cum uir irrigator, totaq́; ea comparatio.* Perſpicuū *enim ex eo ſit quod omnia dicantur accidentia, neque quidquam relinquitur, atque equorum curſus in honorem* Patrocli, *ubi dicit;* Spiritus Eumeli *dorſum. &;*

Semper erāt ſimiles currū inuadētibus illi. Omnia *enim huiuſmodi perſpicua ſunt, quoniā nihil relictum eſt eorum, & quæ accidunt, & acciderunt.* Quamobrem *ſæpius repetitio etiā perſpicuitatem magis efficit, quàm quod ſemel dictum ſit.* Velut *hoc; tu uerò in ipſum, uiuum iactabas conuicia, & in mortuum nunc etiam ſcribis conuicia: nam cum bis conuicia dicātur, apertiorem ſignificant contumeliam: id quod* Cteſiæ *obijciunt, quòd loquacior ſit ob repetitiones, multis in locis rectè fortaſſe obijciūt, at multis in locis rurſus non intelligunt uiri perſpicuitatem.* Ponitur *enim idem ſæpius, quia maiorem efficit emphaſim, ut ſunt huiuſmodi;* Stryaglius *quidam uir* Medus *mulierem* Sacidem *deijciens ex equo: nam mulieres in* Sacis

pugnant uelut Amazones. Mox cum Sacidem formosam conspexisset, ac uigentē eam seruare in animum induxit: deinde factis inducijs cum mulierem amaret, ac non cōsecutus esset, inedia mortem sibi consciscere decreuerat, sed prius epistolā mulieri cōquerens scripsit huiusmodi; ego quidem te seruaui, et tu per me seruata es; ego uerò per te perij. Hic obiurgaret fortasse quispiā qui breuiloquus esse uellet, quia bis positum est nulla differentia seruaui, & per me seruata es. Nam hoc ipsum ambo significant: uerū si alterum abstuleris, perspicuitatē etiam simul auferes, affectumq; illum, qui ex perspicuitate nascitur: atq; illatum perij, pro pereo, est enim magis perspicuum ob ipsam perfectionem. Nam id quod factū est multò grauius est, uel futuro, uel eo quod etiam fit, atq; hic poeta omnino (nam merito poetam quispiam uocare posset) in tota compositione perspicuitatis est artifex. Velut & in his; oportet ea quæ fiunt non statim dicere quòd fuerunt, sed sensim suspendendæ sunt mentes auditorum, atq; cogendi sunt, ut simul dubij sint; hoc ipsū efficit Ctesias in nūtio de Cyro mortuo. Accedēs.n.nūtius non statim dicit quòd Cyrus mortuus est apud Parysatē: hoc.n.erat id, quod ex Scythis nūtiabatur: sed prius nuntiauit quòd uicit, hæc uerò lætata est, ac erat dubia. Postmodo percunctatur

rex uerò quid agit. Hic fugit inquit: tum hæc suscipiens. Tissaphernes illi horum est causa. Tum rursus interrogat; Cyrus ubi est nunc? respondet nuntius, ubi uiros bonos oportet ibi stationẽ habet: paulatim ac breuibus uix procedens. Nam dictum ualde modestè ipsum abrumpit, manifesteq́; nuntium declarauit significare inuitum calamitatem, matremq́; in solicitudinem conijciens & audientes. Fit uerò ijs etiam dicendis quæ res sequuntur perspicuitas. ut dixit quidam de rustico accedẽte, quòd strepitus pedum illius accedentis auditus fuerat antea, non tanquam accedentis, sed tanquam terræ calcitraret. Quod autem inquit Plato de Hippocrate, erubuisti iam per noctem: iam enim demonstrauit aliquid per diem ipsum exiturum. Quòd enim maxime sit perspicuum omnibus est manifestum. Facta est autem perspicuitas ex orationis studio, atque ex eo quòd recẽsuerit Hipocratem ad eum noctu accessisse. Malus sonus facit sæpius, ut hoc; pulsabat aũt cerebrũ. Et multa sursum deorsum: ipsa enim soni difficultate totam inæqualitatẽ imitatur: omnis autem imitatio habet quiddam perspicuum, atque facta nomina habent quandam perspicuitatem, propterea quòd ex imitatione proferuntur, ut lambentes. Nam si bibentes dixisset, neque bibentes canes imitaretur,

neque ulla sanè efficeretur perspicuitas. Et; *lin guis propositum lambentes, magis etiam perspicuam efficit orationem.* Verum de *perspicuitate tot summatim dicta sint. probabilitas in duobus existit, in manifesto, & assueto; quod enim obscurum est & insuetum, idem non probabile. sunt igitur dictiones neq; tumidæ neque exquisitæ in probilitate perquirendæ, compositioq; similiter quæretur affirmans, nihilq; habens in rhythmũ. in his enim probabilitas, et in eo quod inquit* Theophrastus, *quòd non omnia sunt diligenter longa oratione explicãda: sed quædam relinquenda sunt auditoribus intelligenda, quæ ipsi secum computent.* Nam *si quod à te relictum sit animo conceperit, non solum erit auditor, uerumetiam testis, atque eodem tempore beneuolentior. conscius enim sibi uidetur per te hanc cognoscendi facultatẽ sibi comparasse.* Omnia *uerò exprimere uelut fatuo; simillimum est atq; si socordem auditorem existimaueris.*

Quo pacto epistolas scribere oporteat. Cap. XXIII.

VERVM *quoniam epistolarum dicendi genus tenuitatem requirit, de eo etiam dicamus. inquit* Artemon *igitur, qui epistolas* Ari-

stotelis

stotelis descripsit, quòd in hoc eodem genere dialogus, & epistolæ sunt scribendæ. Esse autẽ inquit epistolam quasi alteram dialogi partẽ, atque dicit quidem, sed non omnia. Oportet autem præparasse quodammodo epistolam magis quàm dialogum; siquidem hic inconsultè agentem imitatur: hæc uerò scribitur & quasi largitur pro munere. Quis enim ita locutus cum amico sicuti Aristoteles *cum* Antipatro? Nam *de sene fugitiuo scribens inquit; quòd si ad omnes accusationes hic obit, ita ut in patriam non deducat; manifestũ est quòd nullã illis comparatur inuidia, qui ad inferos descendere uoluerint. qui enim ita loquitur demonstrãti potius, quàm dicenti, comparari posset.* Et *solutiones tenues, cuiusmodi epistolis non conueniunt; est enim solutio obscura in scriptis: atq; imitatio non ita est scripti propria, quemadmodum certaminis.* Vt *in* Euthydemo; *quis erat ò Socrates ille, cum quo heri in* Lyceo *disserebas? multa profectò turba circa uos circunstabat.* Tum *paulum procedens inquit; sed mihi peregrinus quidam esse uidetur: postea cũ quo disserebas quis erat? nam omnis huiusmodi oratio ac imitatio conuenit histrioni magis, quam scribendis epistolis: habeat plurimum optimi moris ac urbanitatis epistola, sicut etiam dialogus.* Nã *quasi animi sui imaginẽ unusquisq;*

scribit

scribit epistolam; atq; licet uel ex alia oratione scribentis morem omnino cognoscere: ueruntamen nulla alia ex re ita ut ex epistola. Magnitudo ipsius epistolæ uelut etiam dictio cõtrahenda est. At quæ ualde sunt longæ, quæq; tumidiores sunt præterea secũdum orationem, nequaquam per Veritatem appellandæ sunt epistolæ, sed commentaria, quæ salutem habeant inscriptam; ueluti plurimæ sunt Platonis ac Thucydidis: atq; solutæ sunt magis compositione: ridiculum sanè esset circumire, tanquam non sit epistola, sed ius ipsum quod scribitur: sed non tamen ridiculum solum, uerum etiam nõ amici. Scire autem est operæprecium quòd non oratio solũ, uerumetiam nõ nullæ res sunt epistolis aptæ. Idcirco Aristoteles, qui maximè epistolæ dicendi genus consecutus esse uidetur, hoc ad te non scribo inquit; quoniam epistolis non conueniebat. Nam siquis compendium scribat argutiarum, uel rerum ad naturam spectantium, scribit quidem, non tamen scribit epistolam. Nã epistola exceptio quædam esse cupit cum humanitate breuis atq; rei simplicis expositio, eaq; simplicibus nominibus. Sunt enim illius pulchritudo comes exceptiones, frequentiaq; in ijs existẽtia prouerbia: nanque hoc unum sapiens in ipsis epistolis esse conuenit, quia prouerbium uulgare quidam est

& commune: is uerò qui scribit sententias aut adhortatur, uidetur non per epistolã loqui amplius, sed per artem. Vtitur alicubi Aristoteles demonstrationibus etiam in epistolarũ morem, uelut cum uult demonstrare quòd simili modo magnæ paruæq; ciuitates beneficio sunt afficiendæ: inquit dei.n.utrisque sunt æquales, quare cum æquæ sint Gratiæ deæ, tibi apud utranq; erunt paratæ. Nam illud quod demonstratur, ad epistolam attinet, atq; ipsa demonstratio. Vbi uerò uel ad reges scribimus, uel ad ciuitates, sint huiusmodi epistolæ, sensim elatæ. Considerãda est etiam persona ad quã scribimus, nam elata conuenit, nõ tamen ut cõmentarius sit pro epistola. Cuiusmodi epistolæ sunt Aristotelis ad Alexandrum, & Platonis ad amicos Dionis. Verum ut uniuersè dicã, misceatur epistola his duobus dicẽdi generibus secũdum orationem, suaui scilicet, ac tenui. Atque de epistola tot dicta sint, & de tenui dicendi genere. Adiacet uerò tenui aberratũ dicẽdi genus, quod Siccũ appellatur, quod etiam fit in tribus. In sententia quidem, ut dixit quidam de Xerxe; quòd descẽdit Xerxes cũ omnibus suis. Rem enim paruã fecit ualde: pro eo quod est, cum tota Asia dicere, cum suis omnibus dicens. Fit siccum, secundum dictionem, ubi res magna paruis nominibus profertur; ut inquit Gadi-

reus de bello nauali in Salamine, ac dixit quidam de Phalaride tyranno; quibuscũq; Phalaris Agrigentinos perturbauerat. Nam hoc tãtũ nauale bellũ, tyrãniq; crudelitas, nõ quibus cunq; nomine, neque perturbauerat, dicendum fuit, sed magnis nominibus subiectæq; materiæ conueniẽtibus. Fit Siccum in compositione, quã do uel cæsa sunt frequentia, uelut se habet in aphorismis; uita breuis, ars uerò longa; tẽpus uelox, experientia fallax: uel ubi res magna mẽbro sint conciso, ac non ex pluribus; ut quidam Aristidem accusans quod non accesserit ad nauale bellum in Salamine gestum, sed sponte sua inquit accessit Ceres, simulq; pugnauit, Aristides uerò nequaquam: nam concisio, & in decora est, & minus opportuna. At concisionibus huiusmodi in alijs uti conuenit. Sæpius autem sensus, ipse frigidum est quiddam, & uelut id quod mala imitatio nominatur. Concisa autẽ compositio sensusq; securitatem abscondens, uelut dixit quidam de eo, qui cum mortua muliere concubuerit, quòd cum illa non concũbit. Sensus enim uel cæco manifestus patet inquã: nam contracta compositio rei securitatem abscondit quodãmodo, eamq; facit quæ nunc dicitur Sicca mala imitatio, ex duobus scilicet malis compositã: ex mala imitatione quidem ob rem; at ob comosiptionem ex sicco.

De

De grauitate. Cap. XXIIII.

VERUM *reliquum esse uidetur, ut ex prædictis ea quæ ad grauitatẽ spectant, innotescant, quod & ipsa sit in tribus, in quibus genera dicendi, quæ sunt ante ipsam.* Nam *res quædam per se graues sunt ita, ut ipsas dicẽtes graues esse uideãtur, uel si non grauiter dixerint: ueluti* Theopompus *tibicinas in* Pireo, *lenociniaq́; buccinantes, & canentes, atq; tripudiantes: nam cũ hæc omnia nomina sint grauia grauis esse uidetur, quãuis tenui oratione dixerit.* Fieri *posset hoc ipsum genus secũdum compositionem, primum si cæsa haberet pro membris, nam longitudo soluit uehementiam: at quòd in paruo, uidetur multò grauius: exemplum* Lacedæmoniorum *ad* Philippum; Dionysius *in* Corintho. Q*uòd si rem extẽdissent:* Dionysius *ex imperio expulsus mendicus est in* Corintho, *cũ literas doceat, fuisset narratio profectò pro contumelia.* Verum *in alijs etiam breui utebantur oratione* Lacones: *nam breue grauius est atq; imperantis: longior autem oratio supplicibus conuenit, ac petentibus.* Q*uamobrẽ symbola etiam habent grauitatem cũ breuioribus orationibus sint similia.* Nam *ex breui dicto plurima suspicari conuenit; ueluti ex symbolis,*

ſic etiam ex humo cicadæ nobis accinent, grauius eſt cum allegoricè ſit dictum, quàm ſi dictum fuiſſet ſimpliciter: Veſtræ arbores incidētur. *Ambitus autem maximè ſunt ſtringendi, atq; finis: nam circunductio grauis: ſolutio ſimplicior bonitatisq; ſignum. Velut omnis antiqua oratio: ſimplices enim ſunt antiqui, quamobrem antiquitatis forma in grauitate deuitanda eſt, & moris, & rhythmi, atq; confugiēdum eſt maximè ad eam, quæ nūc habetur, grauitatem. Membrorū igitur huiuſmodi terminationes; his aſſenſus ſum, quantum conſequi potero me patrocinio futurū: ad eū maximè rhythmum accedunt, quem expoſui. Facit uiolentia etiam quandam grauitatem ſecundum compoſitionem, graue eſt multis in locis & minus ſonorum, uelut inæquales uiæ: exemplum Demoſthenis; uos licitum eſſe uobis dare. Contrapoſita et aßimilia fugienda ſunt in ambitibus, nam tumorem, non autem grauitatem conficiunt: atque frigus ſæpius pro grauitate. Velut Theopompus contra Philippi amicos dicēs, omnem prorſus grauitatem oppoſitione diſſoluit. Homicidæ natura exiſtentes inquit, lenones hominum erant, quod ad mores attinet. Nam ſuperuacanea arte, uel potius mala arte detentus auditor, ab omni prorſus iracundia liberatur. Permulta uerò plene &*

grauiter

grauiter componere ab ipsis rebus quasi coga-
mur:ut hoc se habet Demosthenis;tanquã enim
si ille captus fuisset,tu nihil scripsisses;ita cum
tu nunc sis captiuus, nullus alius scribet: res
enim ipsa, innatusq; illius ordo, manifestam
habet compositionem;neq; quispiam sanè si co-
natus fuerit facile composuerit alio pacto:mul
tis enim in rebus componimus uelut ij qui de-
scendentes decurrunt, ab ipsis rebus detracti.
Faciet grauitatẽ etiam quod grauißimum est
in fine collocasse: nam in medio comprehensum
obtunditur ac debilitatur,uelut illud Antisthe-
nis;dolebit profectò uir ex sarmentis consur-
gens: siquis ipsum ita componat; profectò ex
sarmentis consurgens homo dolebit: nam cum
idem dicat,non idem etiam dicere existimabi-
tur. Oppositio quam dixi in Theopompo neq;
Demosthenis scriptis cõueniret:ubi inquit; uis,
ego uolebam: literas docebas,ego discedebam:
tertias partes histrionis agebas, ego spectabã:
excidisti,ego exibilabam. Nam uidetur male
usus arte ob redditionẽ, uel iocasse potius quã
grauiter tulisse:conuenit autem grauitati am-
bituum frequentia,cum tamen reliquis dicendi
generibus minimè conueniat. Nam si diutius
ponatur,poterit deinde cum dicto metro com-
parari,atq;id in metro graui uelut claudi sunt
iambi:frequentes tamen sint cõcisiones ac bre-
ues;

ues; dico autem quædam duorum membrorum: quoniam si singulorum membrorum fuerint, pulchritudinem præbebunt: ac non grauitatem etiam. Sic etiam breuitas utilis est dicendi generi, ut quod grauius est sæpius sileatur: sicut Demosthenes; *sed ego profectò: sed nihil triste uolo dicere, hic me ex abundãtia accusat, quasi ut conticuerit.* Hic *grauior est quouis dicente, atque per deos obscuritas est grauitas sæpius: est enim grauius quod suspicamur, at quod simplicius prolatum sit, contemnitur.* Accidit *etiã aliquãdo ut dissonum grauitatem efficiat, idq; præcipuè cum res subiecta ipsam poposcerit: ut illud* Homericum;

Serpentem uarium Troës *timuere uidẽtes. poterat enim uel magis concinnè dicẽdo ipsum metrum seruare.*

Pertimuere *anguẽ uariũ ut uidere ruentẽ. sed neque dicens grauis esse ita uidetur, neque ipse serpens: hoc igitur exemplum secuti, & alia similia coniectura perscrutabimur: uelut pro hoc omnis utiq; scripsit: pro eo quod est nõ accessit, accessit nequaquam: in coniunctiones etiam aliquando desinentes, hunc uerò, uel hũc.* Q*uãquã huiusmodi cessatio fugere dicitur.* Ve*rũ sæpius utilis erit huiusmodi. ut, nõ laudauit cum dignus esset, dedecore effecit uerò. Sicut* Sch*ænumq; Scolumq;.* Ve*rũ in* Homericis *magnitudinem*

ἀντὶ τοῦ πάντων, ἄν. τόνδ' ἢ, τόντε.

gnitudinem effecit cessatio hæc in coniunctiones. Efficiet aliquando grauitatem quispiam, si ita dixerit; scripsit ob clementiamq;, ob impietatemq;, sacraq;, sanctaq;. Verum Læuitas denique, ac aptum audiendo politici est proprium, at non grauitatis etiam; quæ genera dicendi maximè contraria inter se esse uidentur. Est tamē grauitas quędā quæ comparetur ex misto ludo: uelut in comœdijs, atque omnis modus Cynicus, uelut Cratetis: Vicarius est enim medio in nigro mari. Ac illud Diogenis in Olympia; ubi armato currente, ipse accurrens præconiū cecinit se ipsum uincere Olympica, atque omnes homines strenuitate. Nam & ridetur simul dictum, & admirationem consequitur, atque mordet sensim dictum, & illud quod ab eo ad bonū dicitur. Cū luctaretur Diogenes cum pulchro puero illiq; commota essent pudenda, ac puer pertimuisset & retro resiluisset, ne timeas ò puer, non.n. sum hoc pacto similis: ridicula est sermonis facilitas, at grauis cælata emphasis. Verum ut summatim colligam omnē Cynici sermonis formam, uidetur simul & ridere & mordere. Vtētur uerò ipso aliquando oratores, & iam usi sunt; ut Lysias dicens ad amantem uetulam, quod eius facilius erat dentes numerare quàm digitos. Nam uetulā & grauißimè simul & maximè ridiculè demon-

εὔηχοον.

*demonstrauit.*Homerum *autem* Vtinē *ego ultimum comedam, uelut prius scriptum est.* Quo *autem pacto grauitas ex figuris oriatur patefaciamus: ex figuris sentētiarū ex uocata praeteritione sic;* Olynthus *certè quidem* Methonē *ac* Apoloniam, *& duas ac triginta ciuitates in* Thracia*, praetereo.* In *his enim cuncta dixit, quae uoluit, ueruntamen se ipsa praeterire inquit, quasi alia grauiora habeat quae dicere posit.*Vocata *etiam* Reticētia *eidem consuetudini coniuncta grauiorem efficiet orationem.* Posset *assumi figura etiam sententiae, quae prosopopeia dicitur, ad grauitatem. ut; existimate maiores uobis haec obijcere, atque ista dicere uel Graeciam, uel patriam, quae mulieris formā sumpserit.* Velut Plato *in* Epitaphio; *ò filij, quoniam bonorum estis patrum, non enim ex propria persona dicere conueniebat, sed ex persona parentum.* Nam *multò efficaciora & grauiora uidentur ob personas, atque magis actus fiūt minus artificiose.*Formae *igitur atq; figurae sententiae eo pacto possent assumi, quo fuit enucleatum: nam tot exempli gratia commemorata fuerunt.*Figurae *uerò dictionis magis uarium oratorem efficiunt, grauioremq; reddunt orationem: tum ex geminatione; ut* Thebae *uerò,* Thebae *finitima ciuitas ex media* Graecia *sunt direptae. nomen enim repetitum*

efficit

efficit grauitatem:tum ex uocata relatione:ut; ad te ipsum uocas,ad populi principatū uocas. Est autem dicta figura triplex; nam ideo fortasse dicta est relatio,quia eandem dictionem, & sine coniūctione,refert in ipsum principiū, est enim dictum sine coniunctionibus. Similiter etiam desinens ob cessationem sæpius eandē ex tribus grauitatem aucupatur. Quòd siquis ita dixerit;ad te ipsum,et leges,et populi principatum uocas: unà cum figuris omnem etiam auferet grauitatem. Sed ante omnia sciendum est solutionem grauitatis præcipuam esse opificem: uelut incedit per forum, maxillis tumidis,cōtractis cilijs, æquè ac Pythocles incedēs; nam si hæc coniunctionibus essent annexa,magis essent mansueta.Vocata Gradatio etiā posset assumi, uelut apud Demosthenem hoc; non dixi quidem talia,neq; uerò scripsi;non scripsi quidem, neq; uerò nuntiaui; nec nuntiaui quidem,neq; uerò Atheniensibus persuasi. Videtur.n; oratio ad maioribus maiora conscendere. Quòd siquis hæc ipsa ita dixerit; dicens ego,& scribens nuntiauiq; & persuasi Atheniensibus, solam dicet narrationem, at nullam grauitatem consequetur. Verum ut uniuersè dicam,dictionis figuræ, & actionem oratori præbebunt,& contentionem, atq; solutum in primis,quod est grauitas.Atq; de utrisq; figu-

ris tot dicta sufficiant.Sumantur omnes dictio-nes quæcunque requiruntur in magnifico dicen di genere,at nequaquam in eundem finẽ: licet enim transferenti grauia efficere.ut;feroci exi stenti Pythoni, *plurimoq; in uos fluenti: tum in similitudinem dicenti, uelut hoc* Demosthe-*nis decretum periculum tunc inuadens ciuita-tem,tanquam nebulam præterire fecit.* Compa *rationes autem ob longitudinem minime gra-uitati conueniunt:uelut hoc; ueluti canis gene-rosus imperitus incõsiderate in aprum fertur: nam in his,& pulchritudo,& studiũ quoddam demonstratur.* Grauitas *uero nult quiddã uehe mens,& breue,atque quasi fingẽtibus est pro-xima.*Fit *autem grauitas ex composito nomi-ne,ueluti multa grauiter componit consuetu-do,humipetam,uesanum,et siquid aliud est hu-iusmodi.*Apud *oratores etiam permulta talia quis inuenire posset.* Enitendũ *est aũt ut nomi na decenter dicamus pro rerum ratione;uelut de illata ui,& agẽte astutia,trãstulit uiolauit:* At *de uim inferente idq; aperte, et sine conside ratione; percußit,exemit.* De *eo qui clam & per fraudem,ut perforauit,aut aufugit, uel si quod sit simile nominibus nomen utile.* Verum *quouis modo sumptum nomen eligere non magnitudinem modo efficit, sed grauitatem etiam.* Velut *hoc, non dicere interius manum habentem*

χαμαιτύπην.

habentem oportet Aeſchinæ,*ſed legatione fun-gi interius manum habentem*. Et hoc; *ſed hic* Eubœam *ſibi uſurpans*. Non enim ut magnam *efficeret orationẽ fit inſurrectio, ſed ut grauẽ*. Fit *autem hoc ubi interea excitati aliquẽ accu ſamus,uelut* Aeſchinæ *accuſatio;hoc eſt*, Philip *pi*. Graue *eſt etiam cũ audientes interrogaue-ris aliqua dicere, idq; non apertum*. Sed Eu-*bœam ſibi uſurpans, ac in* Atticam *regionem propugnaculum præparans,nunquid cum hæc ipſa faciat, iniuriam infert, pacemq; ſoluit,an non?nam uelut in dubitationem inducit audien tem ueluti deprenſum, nihilq; quod reſpondeat habentem*. Quod *ſiquis ita permutans dixe-rit ; iniuria affecit, pacemq; ſoluit ; manifeſtè docere uidetur,& arguere*.Vocata *uerò* Con-*tinuatio oratio eſt in multis de re, quæ maxi-mè confert ad grauitatem, cuius exemplum ha betur apud* Demoſthenem;*grauis morbus uiri* Athenienſes Græciam *inuaſit,non ita erat gra uis*.Habet *non nullam grauitatis partem uoca-tum bonum omen , & is qui mala omina , bona fecerit;& qui piaculum,pium facinus: uelut is qui aureas* Victorias *effundere iubebat,ac num mos in bellum impendendos eſſe cenſebat*. Non *enim ita promptè dixiſſet;quare* Victorias *in-cidamus in bellum*. Videbatur *enim hoc pacto malum omen efficere, ac deas ipſas afficere cõ-* ἐπιμονή.

tumelijs, sed decentius ut uictorijs utamur in bellum. Non enim ita uideretur incidere uictorias ita dictum, sed socias cõmutare. Grauia *sunt etiam ea* Demadis, *quãuis & proprium, & inusitatum habere modum uideantur.* E*st autem ipsorum grauitas, quæ conflatur ex expreßionibus, ac ex aliqua re allegorica assumpta, & tertio loco ex excessu, uelut hoc est; mortuus est* Alexander, *o uiri* Athenienses, *olebat enim terra habitata mortuum; nam olebat pro sentiebat: Allegoricum simul est, & excedens;* At *terram sentire, exprimit uim ipsius* Alexandri. *habet præterea quandam admirationem oratio ex tribus conflatam, omnis enim admiratio grauis, quoniam horrenda uidetur.* E*st eiusdem formæ hoc etiã, quare ego nequaquam hoc decretum scripsi, sed bellum, quod scribit hasta* Alexandri. Et *hoc; uidetur* Ma*cedonica uis* Alexandrum *perdidisse* Cyclope *obcæcato.* T*um rursus alibi; non maiorum tempore nauali prælio aptam, sed uetulam, sandalijs ligatis, ptisanamq; absorbentem.* V*etulam enim allegoricè dictum est pro debili, & iam exili; simulq; ipsius debilitatem hyperbolicè demonstrauit.* P*tisanam uerò sorbentem, quoniam tunc in carnium distributionibus, ac in omni munificentia degens nummos militares absumeret.* T*ot igitur dicta sufficiant de* De*madis*

madis grauitate. Quanquam incertum quid habet, quodq; non facile imitemur: inest enim quiddam forma poeticum. Quod si poeticum allegoria, & excessus, & emphasis: poeticum uerò comœdiæ adnexum.

De figuratis Cap. XXV.

Vocatum uerò figurarum in oratione huiusce temporis oratores ridiculè sanè faciunt, atq; unà cum emphasi minus generosa, & quasi in memoriam reuocante. Est autem uera orationis figura, quæ cum his duobus fuerit prolata condecentia scilicet, & securitate: cum condecentia quidē Plato Aristippū et Cleombrotum cum carpere uellet, in Aegina obsoniis uescentes dum Socrates uinctus Athenis teneretur per multos dies, ac neque nauigarent ob doctorem & socium: quamuis non distarent Athenis ducentis stadijs. Hæc quidem omnia non palam dixit, esset .n. oratio contumelia; at decēter hoc modo: cū qui præsentes essent Socrati Phædon interrogasset, singulosq; connumerasset, rursus percūctatus est an Aristippus ad esset & Cleōbrotus, nequaquam inquit: erāt enim in Aegina: omnia enim prædicta declarant hoc, erant in Aegina: atq; multò grauior uidetur oratio re ipsa grauitatem declarante,

non

non autem dicente. Aristippi igitur socios cũ sine periculo fortasse carpere concederetur, in figura Plato contumelijs insectatur: sæpius autem uel in tyrannum, uel uiolentum quempiam obiter disserentem, cum inuehi uolemus, totam necessario sumemus figuram: ut Demetrius Phalereus ad Craterum Macedonem sublimem in aureo thoro sedentem, purpureaq; chlamyde indutum, superbeq; Græcorum legationes excipientem, cum formasset contumeliose dixit, quòd nos legatione fungentes hunc aliquando excepimus, & Craterum hunc. Nam in demonstratiuo, hunc; ipsa omnis Crateri superbia in figura probris affecta declaratur: eiusdem rationis id est Platonis ad Dionysium mentientẽ atque negantem: quoniam ego tibi Plato non assensus sum, tu tibi per deos, deprẽsus est enim mentitus fuisse: habetq; sermo figuram quandã magnum efficientem: sæpius uerò uel inutranq; partem uergunt, ita ut uideatur ac si quis uelit & uituperia, et mouẽtia uituperia esse. Exemplum extat apud Aeschinem de Telauge: tota enim de Telauge expositio affert dubitationẽ, siue admiratio siue subsannatio sit, figura huiusmodi dubia, atque cũ nõ sit ironia, præse tamen fert quandam ironiæ speciem. Posset aliquis profectò & alio pacto figurare, ut hoc pacto; quando potentes uiri ac fœminæ in sua-

καὶ φόνους καὶ κινοφόνους. δυνάσαι καὶ δυνασίδες

uiter

uiter suos audiunt errores, cum illos admonere uoluerimus ne errent, non ex recto dicemus: quod si socios aliquos reprehendamus qui similia fecerint: ut ad Dionysium tyrãnum contra Phalaridem tyrannum dicemus, contraq; Phalaridis seueritatẽ: uel laudabimus aliquos qui contraria Dionysio fecerint, ut Gelonem siue Hieronẽ; quoniam patribus Siciliæ similes fuerunt, atque magistris: admonetur enim audiens simul & non afficitur contumelijs, Gelonemq; imitari studet cum is laudetur, idemq; laudis fit cupidus. Permulta sunt huiusmodi apud tyrannos uelut Philippus alterum habẽs oculum irascebatur siquis Cyclopem ipsum nominasset, uel omnino oculum. Hermias uerò is qui Atranis imperauit quamuis perbenignus esset ac facilis in alijs rebus, ut aiunt, non facile tolerabat siquis cùm gladiolum nominasset, uel sectionem aut excisionem, quia erat eunuchus: hæc idcirco dixi quia declarare uolui consuetudinem plurimum posse, atque maximè certa ratione indigentem, quæ figura nominatur. Nam & magni potentesq; populi hac orationum figura sæpius indigent, uelut tyranni: uelut populus Atheniensis cum imperitet Græciæ, adulatoresq; nutriat, & Cleones ac Cleophontes: nam adulari cum sit turpe, est increpare periculosum: optimum uerò medium

quod est figuratum: ipsum enim peccantem aliquando laudabimus, non ob ea quidem quæ perperam egit, sed quæ scitè: uelut iratum, quòd heri laudabatur facilis uisus in potentis peccata, quodq; ciuiũ mente est imitator. Nam singuli seipsos suauiter imitantur, laudemq; laudibus adnectere delectãtur, siue magis unã eamq; plenam laudem facere. Sed uniuersè uelut ipsam ceram alius in canem effinxerit, alius in bouem, alius equum fecerit; sic res hæc eadem: alius demõstrans alia uia inquit, alia accusans. Quòd homines pecuniam filijs relinquunt, uirtutem uerò nõ relinquunt, quæ simul relictis prudenter utatur. Hæc orationis forma Aristippeia dicitur. Alter uerò hãc ipsam per suppositionem proferet, cuiusmodi complura sunt Xenophontis: uelut quòd non pecunia solum filijs est relinquenda, sed scientia etiam qua utantur. Hæc uerò quæ forma propriè appellatur Socratica, quam in primis imitati uidentur Aeschines & Plato, sic igitur aliquis concinnè ad interrogationẽ rem prædictam deduxerit; ut, ò puer quantam pecuniæ tibi pater reliquit? nunquid multam ac innumerabilem? multam ò Socrates. Nunquid sciẽtiam etiam reliquit qua illa utereris? nam in dubitationem clam puerum coniecit, eiq; demonstrauit quod est insipiens, hortatusq;

tusq; est cum,ut instrueretur:hæc omnia urbane,& concinne,non autem dictum est hoc à Scythis. Feliciter agebant tunc orationes huiusmodi primum inuentæ,siue in admirationem potius induxerunt cum ob reprehensionem, tum ob perspicuitatem,atq; cum maiestate quadā coniunctam admonitionē. Atq; de formatione orationis,deq; figuratis tot dicta sufficiant.

De leuitate. Cap. XXVI.

LEVITAS autem circa compositionem uersatur, quam hi præcipuè obseruarunt, qui Isocratem secuti sunt,uocalium collisionem deuitantes:quæ graui orationi minimè sunt idonea:multa enim ex collisione illis grauiora acciderent:ut Phocensi bello conflato non me autore,non enim unquam reipub. gubernaculis ego incubui. quòd si quis permutās,atq; coniungens ita dixerit,bello non per me conflato Phocensi, nō enim ego reipub.gubernaculis incubui:multum auferet grauitatis, quoniam & sonorum illud collisionis multis in locis grauitatem fortasse operatur: nam uelut sponte sua natum, ac sine studio emergens,aliquam afferet grauitatem:idq; præsertim cum iratos ipsos,et iniuria affectos demonstramus. Diligētia uerò quæ circa leuitatem,concinnitatemq; uersatur, non est

irati, sed potius iocantis ac demonstrātis quasiq; solutum figura grauitatem efficit, sicuti prædictum est: sic omnino efficiet dissoluta cõpositio. Signum est Hipponactis; *nam cū contumelias uellet in amicos conijcere, metrum infregit, claudūq; fecit pro recto, atq; sine rhythmo: hoc utiq; & contumelijs conuenit, & grauitati.* Nam *quod rhythmum habet, facileq; est audienti, magis collaudationibus conuenit.* Tot *etiam de collisione,* Adiacet *genus quoddam dicendi graui, & ipsum delirum, ut par est.* Vocatur *uerò iniucūdum, atq; fit in rebus, ubi quis turpia apertè dixerit, & non facilia dictu.* Velut *si aliquis* Medusam *tanquā adulteram ... cusauerit, capsacemq;, & obolos, & stoream, permultamq; inconcinnitatē huiusmodi introduxerit in iudicium.* Compositio *autem iniucunda uidetur; quòd si distractæ sit similis, uelut qui ita dixit; quòd si hoc et hoc occidere potuissem atque ubi membra nullam habuerint uicißim cõpositionem, sed similia sint disruptis.* Ambitus *præterea continui, longi, & suffocantes dicentem, non satietatem solum inducunt, uerumetiā sunt insuaues.* Frequenter *& nominatio res ipsas iucundas existentes facit iniucundas, uideri: uelut* Clitarchus *cum diceret de fuco animali api per simi: habitat montana, uolatq; ad concauas quercus: quasi de boue syluestri differe-*

ret

rèt,aut de apro erymantheo, ac non de apicula quadam,ita ut iniucunda, & frigida simul fiat oratio:nam sibi inuicem connexa sunt quodammodo hæc ambo.

FINIS DEMETRII.

CVM NONNVLLA PAVLO *negligentius,ut ingenuè fatear,& quasi sopitus interpretarer, me amicißimè, & admonuit,& excitauit,et increpauit propè uir peritißimus Marcus Antonius Muretus, quare hæc iam partim impressa recognoui, errataq; partim ob impressorum negligentiam, partim etiam ob meam, ita correxi.*

PAGINA *prima uersu.xiij.minus artificiosè suffocaret.pag.ij.uer.y.at totam totius sententiæ partem.uer.xyi.at sententia quædam completur.uer.xxi.iam uacat.uer.xxy. sententiam siue totam.pa.iij. uer.xxi.Scytale.pa.iiij. uer.xy.tum Preces apud Homerum, & claudæ sunt,& squallidæ. uer.xxiij. habitatq;. pag.yi.*

uer.xiij.ac rursus componatur. pag.vij.uer.xi. disiectis prope lapidibus tantum, ac non etiam simul iacētibus, uer.xxij.ut & cōcinna.pa.viii. uer.xviij.magnificus,uenustusq; ambitus, atque in uenustum.uer.xxvij. uenustatemq; & historiæ modum ex simplicitate.pag.ix.uer.ij.autē. uer.x.bis.uer.xvi. tanquam nunc primum agentes.uer.xxii. atq; mistum ambobus similē. uer. xxiiij,inquam siue rebus.pag.x.uer.vij.laborio si ad spectabile. periculorum plenæ,ad dignam certamine,atq; unius ad unum; similis ad simile contraria est redditio. uer. xiiij. quod tunc apud illos erat certamen, apud illos tunc ego. nam ἀγὼν & ἐγών. uer.xxviij. certamin... pagi.xi.uer.iij.neq; pro ijs,quæ audiuerunt. pag. xij.uer.vi.qualem uacat. sic infra. uer. xiiij. ac uacat.uer.xviij.ob tempestatem magnam. pag. xiij.uer.ij. autem est sententia, quæ ex pugna. uer.v.etiā uacat.pag.xiiij.uer.xxi; politū.graue.uer.xxiiij.sed politum.pag.xv.uer.ij.politū tenui.sic uer.iij.uer.x. multumq; pag.xvi. uer. iiij.quid igitur.uer.vij.hoc erit.uer.xxvij.causa uacat.pag.xvij.uer.v.rationem uero. uer.vi. uenusta est.uer.xi.uulgariq; sermoni. uer. xxi. uenustatem,pag.xviii.uer.xvi. ferunt: pa.xix. uer.v.& hoc,uociferant: uer.xxvij.pretulisset. pag.xx.uer.ij.

Similis non esse uidetur

Humanæ

Humanæ formæ, & nemorosis montibus idē. uer.xij.longinquis alta & aspera, & quæ sanè. uer.xvi. sæpius tamen. uer.xxvij.& quippe &. iam te, et unā.uer.xxviij. ipse quippe magnus. pag.xxi.uer.iiij.atq; distracta à prioribus, sequentia magnum quidpiam efficit.uer.ix. affectibus.uer.xij.patrios. uer.xvi. lacerationibus. uer. xvij. & quale uer. xviij. ad conquerentes uertit.uer.xx.implent.coniunctione.uer. xxiij. hæc terra.pag.xxii.uer.vij.deest, ut magnifico, de quo hæc explicāda proponūtur. Primū.et.c. uer.viij.ut Hom.*pag.xxiij.uer.xiiij. ,&, .uer. xxiiij.nam cum bis dicatur magnitudo, tumorē q[illegible]am orationi præbuit.pag.xxiiij. uer.xvij. m[illegible]ta.pag.xxv.uer.ix.nam ibi tibiæ, ibi citharæ.pag.xxvi.uer.xxiiij.rectè pugnantium.uer. xxvi.ex equitibus.pag.xxvij.uer.xxv.erit cōparatio.pag.xxviij.uer.xi. animatorum actionibus: uer.xvi:hastis:pag.xxix: uer.xiiij: arcu tibia, idest:τοξοφόρμιγγα. pa.xxx:uer.vii: apponatur: pa.xxxi:uer.xvi. efficiūt:uer.xxviii: uel uel nòn : pag.xxxii: uer.x: atq; ipsi poetæ: uer.xix:orationis allegoria:uer.xxii:cōtemnat: pag.xxxiii:uer.ix:currus:uer.xiiij: acies ueniētium, ac percutientium:uer.xx: quam clypeus: pag. xxxiiii: uer. xxviii: quòd autem poeticum in orationibus magnificum sit: pa. xxxvi: uer.iii:in mensa, uacat.uer.xviii:dictionem.* Fri-

gida:

gida:uer.26.hypermetrũ pa.xxxvii.uer.ix:in cõtẽtionibus trãslationibus, oĩbusq́;:pa.xxxix: uer.iii:excernebãt, bouesq́; ferebant: in sequẽti cap.pro uenusto politũ legatur:uer.xxiii.cuius uel dentes quàm digitos:pag.xl:uer.i.

Colludunt unà Nymphæ, Latonaq́; læta est.
Sunt omnes pulchræ, & illud;
Rhea sed clarißima præstat.

uer.iii:uenustæ sunt: uer.iiii: & ad emphasim: uer.xiii:uenustatem:uer.xviii.uenustis:pa.xli. uer.i:dicantur:~~pag~~.uer.xxii.hic uerò ut demonstrauit, & à similibus licet: pag.xlii: uer. iiii: reipsa nihil particeps est græciæ, quoniam ip-sum:uer.xiii: quòd intensus arcus: uer.xvi: et politum:pag.xliii:uer.viii:ac uenustatem: uer. ix:uel uenustißimis.

uer.xx:uenustum:pag.xliiii:uer.v:& viii: collatio:sic ubiq; in eo capite:uer.xix: uinumq́; fabrum: pag.xlv: uer.vi: loquax uer.xxi : illata est:pag.xlvi:uer.xvii:biberes inquit uel patrẽ: uer.iii:torynam: pag.xlvii:uer.xxi : Medoces rex:pag.xlviii:uer.xix: agrestem spõsum:uer. xxii : siue magis illius poemata differant : uer. xxviii:atq; ex sequentibus hic risum, ille laudẽ consequitur: pag.xlix: uer.x. Telauges culeus: uer.xiiii:est emphasis:pag.l. uer.xi: nam & l: & n:collisio sonorũ quid habent ex literis: uer. xii: nam:n:pag.li:uer.iiii:asperitatẽ: uer.xiii:

quòd

quòd politum:uer.xi. i:politum:uer.xyii:poli-
ta:pa.lii:uer.yi:eædem:uer.xii:est politus:uer.
xyiii:si quid:uer.xx:& polite, & in,uer.xxii:
molliuit uelut ferrum:pag.liii:uer..i: si fistula:
uer.x.de polito eo,quod,uer.xii:de polito: uer.
xii : de polito: uer.xiiii: polito: pag.liiii:uer.
xxyiiii:est pugnax:pag.ly: uer.iiii:in tuto:uer.
xyi:histrionicis: uer.xyii:histrionicæ:uer.xix:
imagines:pag.lyi:uer.i: pro repetitione resum
ptionē ubiq; legas: uer.ii: per longum interual
lum: uer.xyi:atq; idcirco obscuræ:uer.xyii.&
quòd uer.xxii: fuerunt ob hoc ipsum.

Index Cap.

754